DE

BELLO MARSICO

SCRIPSIT

Dr. C. A. F. WEILAND.

BEROLINI

IN LIBRARIA BECHTOLD ET HARTJE.

1834.

VIRIS

DOCTISSIMIS ET AMPLISSIMIS

JOH. MICH. PALMIÉ

ET

CAROL. TIM. ZUMPT

SUIS QUONDAM PRAECEPTORIBUS

SUMME REVERENDIS

PII GRATIQUE ANIMI

HANC TESSERAM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

„*Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis.*"

Cic. de orat. 2. 9.

Cum bellum Marsicum tractandi provinciam in me sumserim, quod in ea incidit tempora, quae vel obscurissima sunt historiae romanae propter interitum deflendum scriptorum, qui historia contexta haec tempora illustravere, non incommodum erit, altius repetere res, quo ad cognoscendum omnia illustria magis magisque in aperto sint, meliusque perspiciantur caussae et eventus hujus belli funestissimi et memoratu dignissimi, sive bellum ipsum respicias, quod funestius forsitan fuit ipsi Italiae quam civilia bella et trecenta millia juventutis Italicae abstulit [1]), cujusque tam varia atque atrox fortuna fuit, ut biennio duo romani consules Rutilius ac deinde Porcius Cato ab hostibus occiderentur exercitusque pop. rom. multis locis funderentur, utque ad saga iretur diuque in eo habitu maneretur [2]); sive eventus belli considercs, quippe quod antecedat temporibus illis, quae miris rerum conversionibus, inopinatis casibus, consiliis et eventibus foecunda, libertati romanae diem extremum attulere [3]), ita ut Cicero [4]) L. Crasso

1) Vellej. 2. 15, Plin. H. N. 2. 83.

2) Vellej. 2. 16. Cf. Diodor. Excerpt. Vat. ex libr. 37—40 §. 1: Ex quo res gestae in historicis scriptis aeternae memoriae commendari coeperunt, illud maximum novimus fuisse bellum, cui Marsici a Marsis nomen est. Hoc enim priora omnia superavit et ducum strenuitatibus et gestarum rerum magnitudine.

3) Vellej. 2. 17. — 4) Cicero de orat. 3. 2.

anno 662 ab urb. exstincto non ereptam a numine vitam sed donatam mortem sibi videri dicat, quippe qui flagrantem bello Italiam et deinde reipublicae fluctus et tempestates non viderit.

CAPUT I.

Constat vero, ut hinc exordiar, Romanos habuisse socios et *extra Italiam* et *intra Italiam*, qui, quo jure et quibus legibus eo, de quo hic agitur, tempore usi fuerint, antequam ad ipsam disputationem accedamus, nobis erit demonstrandum. Verumtamen, quoniam in exponendo bello, quod ab Italicis potissimum sociis conflatum est, ad eos socios, qui sint extra Italiam, non multum respici apparet, supervacaneum fere videtur, fuse et accurate, quae fuerit horum conditio, explicare. Neque nisi, quae jam in vulgis sint nota atque facile e quovis libro possint disci, fateor lubenter a me posse proferri. Quare, ne quid fortassis jure desiderare posse videare, uti de sociis internis multa, ita pauca etiam de iis, qui in provinciis erant extra Italiam, disseremus.

Habebant autem tempore belli socialis Romani provincias has: Sardiniam, Corsicam, Illyriae partem, Galliam Cisalpinam, Siciliam, Hispanias, Istriam, Macedoniam, Achajam, Africam, Asiam, Liguriam, Insulas Balearicas, Galliae Transalpinae partem australem.

Quarum quamvis non una eademque esset conditio [1]), habebant tamen omnes romanum Praetorem et Quaestorem, illum, qui jus diceret ex formula et edicto suo [2]) (nam, qui subigebantur, et legibus et magistratibus domesticis, ne quid fortasse eos pristinae admoneret libertatis, spoliati sunt), et si opus esset, bellum administraret, hunc qui vectigalia procuraret. Non eadem tamen erat tributorum ratio

1) Cicero Verrin. 3. 6, Peter Burmann de Vectigal. Rom. II.

2) Vide Ezech. Spanh. Orbis Roman. 2. 12, p. 97 sq.

provinciarum ac sociorum Italiae. In illis ager omnis erat ipsius pop. rom., quem licet non totum tanquam publicum per colonos coleret, sed multum immo plurimum privatis, sive ipsis provincialibus, sive civibus romanis traderet, non tamen plenam concessit possessionem, sed jus aliquod minus, usufructuariorum tamen paulo superius. Etenim plenam facultatem utendi fruendique habebant, ita ut jus suum ad alios inter vivos et mortis caussa transferre liceret [1]), pro qua facultate, ne signum etiam non liberae possessionis interiret, praedia provincialia vel tributo vel stipendio vel vectigali erant obnoxia [2]). Omne autem jus provinciae manabat ex formula, quam ab imperatore victore acceperat, qui cum V. aut X legatis a senatu missis de statu provinciae ex suo arbitrio agebat [3]). Provinciae administratio pro militari imperio habebatur [4]). Sequebantur igitur praetorem legati, tribuni militum, praefecti et ingens praeterea mercede conductorum grex, scribae librarii, interpretes [nam id quoque accedit injuriis, quibus provinciae afficiebantur, quod publice sola lingua latina utebantur magistratus romani [5])], apparitores etc. Ad imperium autem cum dignitate et utilitate reipublicae obtinendum omnia in usum provinciae expendenda post legem Curiatam a populo latam ex senatusconsulto praebebantur, etiam quae ad rem domesticam necessaria erant, vestes, vasa etc. [6]) Multis insuper legibus erat praescriptum, quid cuique praetori a provincia dandum, quid a praetore imperandum esset. Ex quibus patet, non fuisse Romanorum studium, ut perderent provincias. Et primis quidem temporibus praesidum adventus nemini labori aut sumtui neque publice neque privatim fuit, postea vero laborante vetere disciplina, in socios avare, superbe, libidinose, crudeliter injuste-

1) Treekell Select. Antiq. Rom. 5. 44.

2) Liv. 31. 13, Simplic. de controv. agr. p. 76. ed. Goesii.

3) Liv. 33. 18, 45. 21, Cicero Verrin. 2. 13.

4) Liv. 42. 49, Tacit. Annal. 3. 33. — 5) Valer. Max. 2. 1. 2.

6) Cicero Verrin. 4. 5, Liv. 30. 17, Dionys Hal. T. 4. p. 2349. ed. Reiske, vide etiam Ciceron. ad Attic. 5. 16.

que se geri coeptum, ut praedae loco provincia data esse videretur, quod quoniam spatio anni finiebatur, eo majore avaritia et crudelitate grassandum esse putabatur. Huic malo indies ingravescenti ut obvium iretur, multae leges de repetundis sunt pro sociis latae, quarum primam tulit L. Calpurnius Piso consul anno 604 a. u. [1]). Sed alia etiam mala multa premebant provincias, inter quae potissimum nominandae legationes liberae, quarum tempus usque ad Ciceronem consulem infinitum erat [2]); huc accedunt vectigalia a publicanis equitibus Romanis empta et crudeliter saepe exacta, qui iidem et foenus exercebant detestabile, ita ut ubi publicanus esset, ibi jus publicum vanum et libertas sociis nulla esset [3]). Denique et remedium illud sociis paratum per hos irritum fiebat, nam ex quo tempore etiam judicia Romae habebant, saepe praesides inita cum publicanis societate provincias omni scelerum genere impleverunt.

CAPUT II.

Italia vero universa non penitus in Rom. rempublicam recepta fuerat, sed etsi Romanis dominis parebat, tamen et jura sua antiqua retinuerat, et propriam quasi rempublicam habebat quaevis urbs, inque sua regione sive territorio suo utebatur quodammodo jure [4]).

Oppida vero Italiae partim:

a) extrinsecus in Rom. venerant imperium, partim:

b) e republica erant quasi propagata.

---

1) Cicero Brutus 27, Verrin. 3. 84, de offic. 2. 21, div. in Caecil. 5.

2) Cicero de leg. 3. 8 et Comment. Turneb. p. 718, cf. de leg. 1. 3 et 10, in Rullum 1. 3.

3) Liv. 45. 18, cf. Beaufort de la rép. rom. 2. 2.

4) Goesii Antiq. agr. Cap. 1. Savigny: Geschichte d. röm. Rechts im Mittelalter. 1. p. 16.

Quare agemus:

I. De oppidis Italiae, i. e.
  1. a) de Municipiis,
     b) de oppidis foederatis;
  2. de coloniis, quae fuerunt, vel
     a) colon. civium romanorum, vel
     b) coloniae latinae.

II. De populis sociis intra Italiam,
     a) de sociis Latinis,
     b) de sociis Italicis.

---

§. 1. Fuere initio duo genera Municipiorum, non eodem jure donata, unum *sine suffragio*, quod cum jure legionis jure etiam privato Rom. gauderet, ceterum nec suffragium ferret nec Magistratus Romae caperet, ita ut Municipes *nomine* quidem, non *re* cives essent romani; alterum *cum suffragio*, quod reliqua etiam omnia jura est consecutum penitusque in communionem juris civitatis et munerum publicorum receptum, ita tamen ut propriis legibus suis, quoad id fieri liceret inviolato jure romano, proprio publico consilio, propriis magistratibus, propriis denique sacris [1]) uteretur. Jus autem census habuisse Municipia cum suffragio et inde omnia civium Rom. jura, patet ex Livio et Suetonio [2]), jura etiam privata habuisse constat ex Cicerone [3]). Ita apparet, Municipes, quotquot essent alicujus oppidi cives, quotiescunque Romam venirent, eodem quo cives Rom. loco ductos fuisse, in tribu suffragium tulisse et ad honores provectos fuisse [4]). Immo veteres Municipia ex eo nominata fuisse dicunt, quod jus adepta essent cum

---

1) Saepius vero Rom. sacra adsciverunt (vid. Drakenborch. ad Liv. 8. 14, Treckell. l. l. 5. 50), suis tamen non amissis (Festus vox: Municip. sacra, vid. etiam de Hernicis Liv. 9. 43).

2) Liv. 8. 17, Suet. Aug. 2, Cicero de rep. 1. 1, Cornel. Nep. Cato. 1.

3) Cicero in Anton. 3. 6, pro Archia 4.

4) Vide Treckell l. l. 3. 23. Festus: Vox Municip.

pop. rom. munera capiendi [1]). Optime igitur dicit Cicero [2]): „*ego et illi* (Catoni) *et omnibus Municipibus duas esse censeo patrias, unum naturae, alterum civitatis, ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in pop. rom. civitatem susceptus est, itaque cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris*" (il étoit bourgeois de Tusculum et citoyen de Rome). Commodissima igitur eorum fuit conditio et fortuna, speciemque quandam atque imaginem reip. rom., quantum fieri poterat, referebant. Habebant enim ut Romani senatum, decurionum consilium, quod et ipsum saepius senatus appellatur [3]) et cujus principes erant decemprimi [4]), quorumque numero certae tantum conditionis cives esse poterant [5]), habebant et magistratus, a quibus regebantur, licet etiam magistrat. Romanis parerent. Variis hi magistratus insigniuntur nominibus, nominatur Tusculi L. Mamilius dictator [6]), Lanuvii Milo dictator [7]), nominantur II viri, IV viri, censores, aediles, quaestores etc. [8]); habebant etiam plebem, quae leges ferebat et municipales magistratus creabat [9]). Processu vero temporis alteri etiam generi Municipiorum suffragium attributum scribit Livius [10]) ad annum 565 a. u.; veteribus tribubus adscripti sunt hi

1) Pompeji Comment. artis Donat. Sect. 13. p. 166, Servii Ars Gramm. Segm. 3. p. 494, Ulpian Digest. 50. Tit. 1. §. 1, Gellius 16. 13, Varro 4. p. 92. Ex quibus locis patet, verbum munus non solum de muneribus militaribus esse intelligendum, ut censent Manut. ad Ciceron. pro Roscio Amerin. p. 60. ed. Richter, Heinecc. App. l. l. §. 114.

2) Cicero de leg. 2. 2. — 3) Savigny l. l. 1. 19.

4) Cicero pro Roscio 9, pro Sextio 4, in Verrem 2. 47.

5) Cicero Ep. ad Divers. 6. 18, Plin. Ep. 1. 19.

6) Liv. 3. 38.

7) Cicero pro Milone 10, cf. Liv. 41. 16; 42. 1.

8) Cicero ad Attic. 11. 8, ad Famil. 13. 11, Sueton. de clar. Rhetor. 6.

9) Cicero de leg. 3. 16.

10) Liv. 38. 36.

novi cives, 35 tribubus jam expletis, Velina et Quirina adjectis ex Sabinis anno 512 a. u. [1])

Nomen vero Praefecturarum, quod Municipiis aliquot attribuitur, nullam jurium differentiam affert. Harum tamen conditionem omnium Italicarum civitatum durissimam fuisse, formulamque datam non longe a provinciae formula abfuisse scriptum invenio apud Sigonium [2]) multosque alios eruditissimos viros [3]), quippe in quas praefecti mitterentur quotannis, qui jus dicerent [4]). Duo genera fuerunt auctore Festo [5]): *unum, in quas solebant ire praefecti quatuor e viginti sex virûm numero* [6]) *populi suffragio, alterum, in quas ibant, quos praetor urbanus quotannis in quaeque loca miserat.* Urbes autem omnes, quas hic nominat Festus constat Municipia fuisse tum ex ipso Festo [7]), tum ex aliis [8]). Quare quibus auctoribus Sigonius jure incommodissimo omnium Italicarum civitatum Praefecturas usas fuisse, dixerit, non adsequor; dicit enim ipse Festus [9]), quandam earum rempublicam fuisse et Cicero [10]) tam honorifice loquitur de Praefectura Atinate, ut liquide appareat, nullum interfuisse discrimen inter Praefecturas et Municipia. Porro non omnia ex praefectorum arbitrio pependisse,

---

1) Liv. Ep. 1. 19. — 2) Sigon. de Antiq. Jur. Ital. 2. 13.

3) Manut. ad Ciceron. Ep. ad Fam. 7. 12, Nitsch Zustand d. Römer. 3. p. 309, Rothius de Municip. p. 19.

4) Festus: vox Praefectura. — 5) Festus l. l.

6) Sic lego ex conjectura Zumptii. Erant autem in hoc XXVI. viratu 1. Decemviri stlitibus judicandis, 2. Tresviri monetales, 3. Tresviri capitales, 4. Quatuorviri viales, 5. Duoviri viarum extra urbem, 6. Quatuorviri in Campaniam. Hoc collegium XX viratus posteris temporibus nominatur (Tacit. Annal. 3. 29), abolitis duobus potestatibus 5 et 6 ab Augusto (Dio Cassius 54. 26).

7) Festus: vox Municip.

8) Liv. 8. 14; 13. 33; 23. 31, Cicero pro Coelio 2, ad Famil. 13. 7 etc.

9) Festus: vox Praefectura.

10) Cicero pro Plancio 8.

declarat, quod non solum ordo decurionum [1]), sed et magistratus Praefecturarum nominantur, aediles, quaestores, praetores etc. [2]) Denique nonne Marius ille, tam multis honoribus clarus, nonne etiam Cicero ex praefectura erant Arpinate, quae eadem erat Municipium? Ex his omnibus statuimus: praefecturas fuisse Municipia civitate initio sine suffragio donata, tempore autem, de quo hic agitur, cum suffragio omnes, quibus, quod longius ab urbe abessent et foro romano cum commodo suo, ut Tusculani, Lanuvini, Aricini, qui propius habitabant, uti non possent, pro beneficio attributum, ut magistratus in ea mitterentur ad jus secundum leges romanas dicendum. Hi vero praefecti etiam posteris temporibus, cum municipia omnia jam suffragio gauderent, missi esse videntur [3]).

§. 2. Civitates foederatae (Italiae inferioris oppida graeca) omnino erant liberae aequissimoque foedere cum Romanis conjunctae [4]) rempublicamque suam in sua potestate habebant. Milites Romanis eas praebuisse non est veresimile, navibus tamen in bellis maritimis adjuvisse rem Romanam apparet ex Cicerone [5]). Simillima erat igitur harum conditio conditioni Municip. sine suffragio, praeterquam quod non erant in communione civitatis romanae. Talis civitas foederata fuisse videtur [6]) Capua, antequam in praefecturae formam redigeretur, quod evenit demum bello Annibalico [7]).

§. 3. Municipia extrinsecus veniunt in civitatem, coloniae ex civitate sunt quasi propagatae [8]), Municipia igi-

---

1) Sueton. Calig. 23, Mazochi Tab. Heracl. p. 396.

2) Tab. Heracl. lin. 9. 10. 11. 56.

3) Horat. Sat. 1. 5. 35, cf. Zumpt in: Jahrbücher für wissensch. Kritik No. 40. Februar 1834.

4) Cicero pro Archia 4.

5) In Verrem 5. 18, pro Fontejo 1.

6) Cf. Liv. 23. 5; 11. 16, Ep. l. 12.

7) Liv. 26. 16. Alio loco (9. 20), ubi dicit id jam evenisse 436 a. u. legendum credo Campaniae pro Capuae.

8) Gellius 16. 13.

tur sunt quasi filii adoptati, quippe quae amissa potestate sui, penitus in civitatem romanam adsciscantur, coloniae filii emancipati [1]), quippe quae jura quidem habeant pop. rom., cujus quasi effigies parva simulacraque esse videntur, ceterum sui sint arbitrii. Si originem coloniarum et rationem Romanorum in iis instituendis, spectamus, deductae sunt, ut locis hostium excursioni opportunis praesidio essent, ita ut non oppida Italiae, sed propugnacula imperii esse viderentur [2]). Quare coloniae militari modo deducebantur; sunt enim quasi arces, quarum praesidium stipendii loco agros accipit [3]). Duoviri, III viri, V viri, VII viri coloniae deducendae [4]), creati a populo in Comitiis tributis [5]) cum imperio, novis colonis dabant magistratus senatumque, totiusque reipubl. formam definiebant. Quaeque colonia praeterea habebat patronum Romae, qui res ejus apud senatum ageret. Quid vero Romae praestare debeat, praescriptum est in formula a Senatu ac populo jussa, omnes autem tempori belli cohortem mittunt saepeque milites iis imperantur [6]). Duo autem habemus genera coloniarum, alias *civium Romanorum,* alias *latinas.* Differunt hae primum tempore, quo deductae sunt. Colon. enim lat. partim sunt vetustiores, partim recentiores, colon. civ. rom. mentio fit solum in libris Livii 11—20. Deinde et jure diverso erant; nam colon. civ. rom. retinebant privatum jus Quiritium [jus commercii, connubii, mancipii, testamentorum et patriae potestatis [7])], non autem publicum, ut vult Sigonius [8]) et Spanhem. [9]), veresimilius autem videtur eas etiam hoc retinuisse, injustum enim fuisset, cives rom. in colonias missos, ut imperium rom. tuerentur, de-

1) Liv. 27. 9, Vaillant: Numism. aen. in municip. et col. T. 2. p. 113, Eckhel. Doctr. Numm. 4. p. 492.

2) Cicero de leg. agr. 2. 17, pro Fontej. 1, Liv. 4. 11; 10. 21, Dionys Hal. 7. p. 439.

3) Niebuhr: Röm. Gesch. T. 2. p. 51.

4) Heinecc. App. 1. §. 125. — 5) Liv. 34. 52.

6) Liv. 29. 15, 41. 5. — 7) Liv. 34. 42.

8) Sigon. l. l. 3. 1 et 2. — 9) Spanh. l. l. cap. 8 et 9.

teriore in conditione ponere quam peregrinos, qui cum jure honorum et suffragiorum in civitatem recipiebantur; porro eadem plebs, quae tam acriter pro aequanda civitate dimicabat, nonne etiam non minus acriter, ut in colonias divideretur, pugnabat? Denique hae coloniae non longius ab urbe aberant, quam multa Municipiorum [1]). Coloniae lat. habebant solum jus Latii et non erant cives, sed peregrini. Saepius tamen et Latini nomina dederunt in colon. civ. rom. et tum colonos diverso jure usos fuisse, alios jure rom., alios jure Latii testatur Livius [2]), et contra cives rom. poenae caussa colon. lat. adscriptos deminutionem capitis mediam, amissa civitate, passos fuisse, testatur Cicero [3]). Incolas etiam oppidorum, in quae colon. deducebantur, saepe alio jure fuisse ac coloni, monstrat Cicero [4]). Duodecim autem colonias lat. commercium habuisse apparet ex Cicerone pro Caecina c. 35 [5]).

§. 4. Nomen latinum non confundendum esse cum priscis Latinis [6]), monet praeter alios Gajus [7]). Nominis

---

1) Huic opinioni favet, quod nusquam occurrit apud veteres, civem rom. in colon. missum jure suffragii excidisse, ut saepius refertur de iis, qui poenae caussa col. lat. adscribebantur. His accedit, quod Cicero narrat de orat. 2. 71, censorem Lepidum Antistio Pyrgensi equiti (Pyrgi erat col. civ. rom.), equum ademisse. Quod si colonus equum publicum habere poterat, consentaneum videtur, eum etiam cum equitibus rom. et omnino omnes coloniae cives ex censu suffragium tulisse. Vide quae de hac re disputat. Jo. Nic. Madvigius: de colon. p. rom. jure et condicione quaest. hist. pars I. et Zumpt l. l.

2) Liv. 32. 29; 34. 42 et 45.

3) Pro Caecina 33, Boethius in Ciceron. Topica 2. 39.

4) Pro Sulla 21.

5) De his vide Zumpt. l. l. Optimum omnium colon. recensum vide ap. Madvig. l. l., nominat 82 colonias, quibus adjicias colon. latinam in Pisaurum agrum deductam (Zumpt l. l.).

6) Liv. 1. 3, Festus in voce: Priscae lat. col., Paullus in Prisc Latin. p. 373.

7) Gaji Instit. Comment. 1. 79: sed ad alios Latinos perti-

autem latini erant praeter ipsos Latinos etiam Volsci, Hernici etc. et coloniae. Omnia eorum jura lege constituta erant, quam in foedere [1]) feriendo atque omnino societate jungenda a pop. rom. nacti erant. Dubitari autem non potest, quin vetustum foedus aequum [2]) anno 260 a. u. cum iis, Sp. Cassio Viscellino et Posthumo Aurunco II. Css. ictum, non recuperarint, quod maxime patet ex Livio [3]), quamvis Cicero [4]) hoc foedere foederatos eos appellet. Latinos vero longe alio jure privato usos fuisse quam cives rom., patet ex eo, quod jus Latii juri Quiritium opponitur, adeo ut qui Latinitate donati essent, si meliori in conditione ponendi essent, jure Quiritium [5]) augerentur [6]). Sed jure publico ne ipsi quidem utebantur, quamquam civium rom. conditionem propius accesserunt. Censos autem Romae non fuisse, nisi qui furtim per censum in civitatem rom. irrepsissent, sed distinctos a Romanis suos censores habuisse et inde pro suis tabulis milites et equites dedisse, quoties senatus vel consules imperarent, ut et militasse cum Italicis pro Romanis et quidem semper fere triplici equitum, aliquando et peditum numero, ex multis patet exemplis [7]). Militabant igitur non in legione romana, neque eorum copiae in legiones erant distributae [8]).

---

net, qui proprios populos propriasque civitates habebant et erant peregrinorum numero.

1) Foedera eorum vide ap. Heinecc. Antiq. rom. l. 1. §. 70 sq.

2) Dionys Hal. 6, 415, Niebuhr l. l. T. 2. p. 43 sq.

3) Liv. 8. 14. — 4) Cicero pro Balbo 23.

5) Jus autem Quiritium caussam privatam amplexum fuisse videtur, varia tamen de hac re eruditorum judicia, vide Treckell l. l. 4. 26 sq.

6) Sueton. Claud. 19, Plin. Ep. 24, Ulpian. Fragm. Tit. 3. §. 2, Paullus IV. 9. §. 8.

7) Vellej. 2. 15, Liv. 3. 22, 21. 55, 31. 17, 35. 2, 36. 20, Plin. H. N. 3. 20. Polyb. 6. 26 admonet peditum numerum plerumque rom legionibus parem, equitum duplicem datum esse.

8) Apud Liv. 8. 6 abusive nominantur legiones Latinorum et 37. 39 legiones sociûm ac Latini nominis.

Jus suffragii et honorum ex legibus proprie eos non habuisse, apparet ex eo, quod saepe urbe, in quam suffragiorum caussa venerant, abire sint jussi [1]). Neque tamen hoc raro factum est, ut Latini ante legem Juliam ad suffragia accirentur [2]). Habebant ergo ante legem Juliam jus suffragii Latini, aut certe speciem quandam suffragiorum, cum id potius precarium esset magistratnum beneficium, quam optimum jus suffragiorum [3]). Denique etiam in eo melior erat eorum conditio, quam Italicorum, qnod magistratibus in patria gestis civitatem conseqni poterant; tamen et ceterorum sociorum cives rom. fiebant, qui stirpem virilem domi relinquerent [4]). Non dubitari autem potest, Latinos, qui illo modo civitatem adepti erant, jure privato solum romano donatos fuisse, sin minus, cum ad suffragia danda Romam venirent, ex urbe pelli non potuissent.

§. 5. Italici habebant solum jus gentium, et nihil quod civis romanus jure civitatis rom. habebat [5]). Pleraque autem iis cum Latinis erant communia, ut Latini jure Quiritium carebant [6]), nisi qni forte lege aliqua juris ejus partem aliquam impetrarant [7]), omnes in civitatibus suis per censores suos censebantur, tributa et vectigalia, quo-

---

1) Dionys. 8. p. 540, Liv. 39. 3 ad ann. 566; 42. 10 ad ann. 576. Nihil acerbius socios Latinos ferre solitos esse, quam id, urbe exire a Consulibus juberi, dicit Cicero pro Sextio 13, in Bruto 26.

2) Liv. 25. 3.

3) Eodem bello punico secundo Spurius Carvilius (Liv. 23. 22), pro magna re se suadere dixerat ut ex singulis populis Latinorum binis senatoribus civitas daretur, ejus autem rei ut alienae mentio oppressa est.

4) Liv. 41. 8, vid. et. 42. 13, 43. 16, Cicero pro Balbo 24.

5) Cicero de offic. 3. 5 et 17, Heinecc. App. 1. §. 134, Savigny: Ueber d. Ausbild. d. Latinit. als eines eigen. Standes etc. p. 202, 206.

6) Ulpian. Fragm. Tit. 5. §. 8, Gaji Instit. Comment. 1. 78.

7) Cicero pro Scauro 5, cum nota Heinrichs p. 24, Liv. 23. 4,

modo in foedere [1]) constitutum erat, persolvebant. Inferiores tamen Latinis erant, quod non precario illo suffragiorum jure et per id in civitatem irrependi occasione fruebantur, nec civitatis rom. adipiscendae gestis domi magistratibus jus habebant. Ceterum erant ut Latini, liberi i. e. suis legibus suisque magistratibus utebantur, et immunes i. e. vacui erant a tributo capitis et soli. His enim duobus privilegiis gaudebant Itali prae provincialibus. Nam quanquam gravibus reip. temporibus, ut civibus ita Italis, pro facultatibus cuique, sive censu, adeoque de agris in censum relatis, tributum imperari potuit, plenum tamen suorum praediorum habebant dominium, nec pro ipsis in recognitionem supremi dominii tributa solvebant [2]). In Italia enim parte agrorum solum devictos multabant Romani, quae vendebatur, vel locabatur vel ad colonias deducendas adhibebatur. Quare socii Latini et Italici semper populis stipendiariis et tributariis opponuntur [3]).

CAPUT III.

§. 1. Attente si historiam populi romani (cui ad arma nato et in armis fatum erat vi domare orbem) perlustramus, facile fatebimur, nullum populum usquam eadem constantia eademque fortuna [4]) partes suas, a divino numine sibi impositas, egisse. Ad haec omnia a Deo quasi ipso praeparata videmus inde ab initio. In summa vitae tenuitate et egestate viventibus Romanis non statim cum magnis

26. 33, Ruhnken ad Vellej. 2. 44. p. 224 sq., Ulpian Fragm. 5. §. 4 et 19. §. 4.

1) Horum foedera, quorum conditiones parum compertae nobis sunt vide ap. Sigon. l. l. 1. 8—21.

2) Hygin. de condit. agr. p. 205. ed. Goesii, Cicero pro Flacco 32.

3) Cicero divin. in Caecil. 3, pro Balbo 9.

4) Appian. Praef. cap. 11.

regnis et imperiis concertandum erat, sed uno excepto Etrusco populo, corrupto tamen luxuria servilique jugo ab Optimatibus oppresso et ita certi interitus jam prae se ferente indicia, non nisi parvas civitates per omnem viciniam habebant, quibus, singulis separatim victis ad majora aggredienda uterentur. Tarquinio Superbo regnaute, vicinis populis jam victis, fractis etiam Latinis foedere, quo subjectorum potius, si verum spectas, quam foederatorum partes habebant [1]), Romani jam viam ingredi poterant, quam postea pergebaut et confinibus omnibus subactis Italiaque tota in ditionem suam redacta orbis terrarum affectare imperium. Sed penitus corruere videbantur debere haec initia imperii, nam regibus exactis, intestino odio divisa republica, urbs capta a Porsena [2]), percussum cum Latinis foedus (aequum) Cassianum [3]). Agitata interea respublica tribuniciis illis procellis (lege naturae credo, qua nisi ex elementorum discordia nulla concordia coalescere potest), per quas pacatis ordinibus, pop. rom. unus ex duobus factus et in unum corpus imperiumque consociatus, inde ab urbe a Gallis capta, hanc cum maximo rerum periculo sibi partam concordiam toti inferre Italiae conatus consecutusque est bellis, quae gessit cum Campanis, Latinis, postremo cum Samnitibus, magna gente et feroci, nunquam quiescente eorumque sociis Lucanis, Appulis, Pelignis, Marsis, Marrucinis et Vestinis, denique Graecis, quotquot inferiorem Italiam incolebant. Hernicorum vero [4]) et Aequorum [5]) Volscorumque nomen post haec bella evanuit, populis vel in civitatem Romanam quodammodo receptis, quam consuetudinem inde ab urbe a Gallis capta induxit pop. rom. [6]), vel continuis bellis plane deletis et exstinctis. Ea autem prudentia fuere Romani in regendis,

1) Liv. 1. 45, 49 sq., Dionys. Hal. 4. 25.

2) Tacit. Annal. 3. 72, Plin. H. N. 34. 39.

3) Liv. 2. 33. — 4) Liv. 9. 43.

5) Liv. 9. 45.

6) Hanc consuetudinem maximis laudibus effert Cicero pro Balbo 13.

quae bello parta erant, ut Italicos in parando per foedera praesidio adversus praepotentis inimici invalescentes vires, quibus singuli impares jam erant, semper spes falleret et opibus fractis, manus porrigere ad Romanos victores cogerentur. Qui si in his substitissent, nec gloriae et potentiae extra Italiae fines studuissent et ad interiora imperii melius constituenda consilia convertissent, stare potuisset illa tam valde jactata libertas [1]). Id vero moderationis exemplum minime a romano ingenio exspectandum. Nam cum tota, quae tum dicebatur Italia, assiduis bellorum afflicta contentionibus, in ditionem potestatemque eorum pervenisset, exteras nationes debellare et imperio subigere coepere [2]). Italici autem sociorum loco habiti, mirum in modum Romanorum imperium adjuverant in his bellis atrocissimis, quibus omnes reges sub honesto sociorum nomine servientium turbae adjecerunt. Exstiterat enim et invaluerat jam opinio prava illa, non efflorescere regna nisi novis provinciis adjectis, nec magnos viros inclarescere nisi hominum caedibus stragibusque, urbium et agrorum incendiis, ad parta autem tuenda nova esse semper bella suscipienda, ita ut, quod magnorum imperiorum pestis et tabes est, proferendi essent fines tanto latius, quo latiores essent facti. Imperia vero et regna per Asiam male constituta, regum et aulicorum luxuria et mollitie jam vacillantia, exitioso insuper foedere Rom. infecta, facile nomini Romano adjecta. Sed haec Asia exiguo fere sanguine victa, prima fuit Romanis exitii caussa, ut recentioribus temporibus America Hispanis. Nam ab hoc inde tempore severitas illa morum, quae ingenio rom. insita videri potest, si ad Camillos, Curios, Fabricios, Maximos aliaque virtutum non hominum nomina respicimus, labefactata, legibus, juribus, insti-

1) Scipio Africanus Censor 611 publice erat deos immortales precatus, non ut res Romanas meliores et ampliores facerent, sed ut eas perpetuo incolumes servarent Valer. Max. 4. 1. 10.

2) Multum autem prius dubitatum est in Senatu, an extra Italiam bellum susciperetur interque suadentes et dissuadentes contentio fuit Liv. Ep. l. 16.

tutis per luxuriam et bellandi praedandique studio dilabentibus, contemtu patriae religionis disseminato, disciplina romana infracta, institutiones corruptae, vita publica et privata licenter effrenata.

§. 2. Si autem consideramus, quomodo romana respublica omnes gentes longe potentia imperioque superaverit et quomodo inde subjectos in obsequio retinuerit quamque hi conditionem nacti fuerint, fatendum est, fortunae et admirabili prudentiae ad ea quae idonea consiliis seu tempus seu ratio seu calliditas afferre poterat, non minus imputandum esse ad opes Rom. tantopere auctas quam fraudi ac dolo, quo politices [1]) nomine ac praetextu grassati sunt vel specioso nomine libertatis afferendae [2]). Omnia ad reipublicae utilitatem et gloriam audenda putabant, cujus caussa justitiae, libertatis, immo jurium humanitatis rationem exuere pro justo aequoque habebant; libertatem sibi ipsis solis debitam fato autumabant [3]) et crudelissimis suppliciis saeviendum esse in populos alios libertatem suam defendentibus servitutisqee onus detrectantibus [4]). Ad eos autem, quos suis legibus parere jusserat, in obsequio continendos, *summum populi romani, populorumque et gentium omnium ac regum consilium Senatus* [5]) meliora consilia reperire non potuit, quam ut vel metu eos semper premeret, in noxios et suspectos poenis ac suppliciis saeviret, tributis et vectigalibus eos exhauriret, viris opibusque spoliaret, uno verbo, quod natum erat ex injuria jus, novis injuriis defenderet.

§. 3.

---

1) Unum ratiocinandi politices romanae exemplum afferre satis erit: Bithynia a Nicomede rege tenebatur. Iste mortuus est intestatus. Pervenit ergo regnum ejus ad pop. rom. Misit ergo pop. rom. ad regnum illud tenendum Ariobarzanem (Ascon ad Manil. 2).

2) Liv. 45. 18, Justin 33. 2.

3) Cicero Phil. 6. 7. *Aliae nationes servitutem pati possunt, populi Romani est propria libertas.*

4) Liv. 4. 17, 22; 8. 14. — 5) Cicero pro Domo 28.

§. 3. Videmus igitur remp. rom. a prima inde origine armis crescentem, *populum rom. orbis dominatorem, dominum regum, victorem atque triumphatorem omnium gentium* [1]). Sed advenit tandem tempus, quo ipsi a se expetiverunt poenas eorum, quae in alios populos commiserant. Bellorum enim continuorum, oppressis remotisque aemulis, deficiente tandem materie, ipsi se jugulare coepere suo gladio, quem semper in manu habere jam consueverant. Duae autem praecipue fuere caussae, quibus inde a Gracchorum temporibus, totius imperii romani facies immutata, omne imperium arbitrio paucorum et tandem unius omnino subjectum est:

1) *servorum manumissorum ingens multitudo,*

2) *factionum certamina omnia miscentia.*

CAPUT IV.

§. 1. Creverat incredibili modo ex bellis continuis Romanorum ut cetera mala omnia mancipiorum numerus, quae praecipue consuetudo immanis captos in servitutem abducendi, et fortuna belli suppeditabat [2]), et sine quibus Romani jam commode vivere nequibant. Ipsi enim laborem refugiebant, luxuria et mollitie fracti, nihilque jam retinuerant ex priscis illis reip. temporibus, quibus paterfamilias quisque agrum colebat ut inde se suosque aleret. Multa igitur barbarorum millia, victo Illyrico, Gallia, Hispania, Africa, in Italiam immigrarunt, ut agros victorum colercut. Unde magnum exortum est malum praeter alia multa. Hi enim barbari agro colendo minus idonei, neglexere agriculturam jam satis attritam per latifundia divitum et agrorum paucitatem, quam pauperes colerent. Creverat porro servorum ad luxum et fastum paratorum nu-

1) Cicero pro Domo 32.

2) Dionys 3. 22, Gaji Instit. Comment. lib. 1. §. 52.

merus inde a Carthagine et Corintho eversis [1]). Supervenere tandem luxus instrumenta ex Asia (ex Phrygia et Cappadocia praecipue), pueri molles ac delicati. Ingentem vero fuisse servorum multitudinem inde patet, quod circa hoc tempus in omnibus terrae partibus de servitutis jugo excutiendo cogitabant servi. Praetores vero hos motus statim comprimere non audebant propter auctoritatem et potentiam dominorum. Hi enim plerumque erant equites romani, penes quos C. Gracchi lege judicia Romae erant, ita ut merito illis essent timendi [2]). Anno vero 619, Euno rege creato, exercitum 70,000 fere hominum collegerant servi in Sicilia, Praetorem C. Pisonem fugaverant, L. Plautium Hypsaeum victum 620 castris exueraut [3]), et victi tandem maxima cum contentione a P. Rupilio Proconsule Siciliae 623 [4]), tumultuandi cupidinem non exuerant. Novi enim motus fugitivorum eruperunt 651, Athenione duce, fugantur C. Servilius Casca, L. Lucullus Praetores 652. Anno tandem 655 per M'. Aquillium Proconsulem finitum est hoc bellum, in quo circiter decies centena millia fugitivorum occisa sunt [5]). Verum non solum in Sicilia, sed etiam in ceteris orbis terrarum partibus, immo etiam in Italia ipsa tales motus exstitere [6]).

§. 2. Sed quod maxime exitiabile fuit reipublicae et praecipue socios exasperasse credo, per breve tempus [7]) hi barbari manumissi [8]) seu certe filii eorum cives romani erant optimo jure in ea civitate, cujus nullo amore tenebantur. Inde comitia turbabantur, urbs vilissimorum et

---

1) Strabo l. 14. p. 985. — 2) Diod. l. 34. Ecl. 2.

3) Oros. 5. 9, Florus 3. 18, Diod. 34. Ecl. 2, Marcellin fin. libr. 14.

4) Flor. 3. 19, Valer. Max. 6. 9. 8, Liv. Ep. l. 68, Cicero de orat. 1. 18, Appian de reb. Sicul. 6 Excerp. XXX de legat.

5) Liv. Ep. 69, Diodor 36. Ecl. 1.

6) Diod. 36. Ecl. 1. — 7) Cicero Phil. 8. 11.

8) De tribus manumissionis modis vide Cic. Top. cap. 2 et Severinum interpretem ad hunc locum.

egentissimorum hominum colluvie implebatur [1]). In quatuor enim etsi tribus urbanas erant distributi et a tribubus rusticis repulsi, magno tamen erant pondere iu comitiis 1) quod plebs urbana, ut semper, ceteram etiam multitudinem in suas partes trahere consuevit; 2) quod saepius ut in omnes tribus dividerentur et pugnabant et consecuti sunt, primo Appio Claudio Censore (anno 441). Visum autem est Q. Fabio Rulliano Censori novem post annos eos excernere atque iterum in 4 urbanas redigere [2]). Saepius vero eos Censorum negligentia hinc exiisse. inde conjici potest, quod saepius dicuntur in 4 tribus urbanas redacti fuisse a Censoribus, ut anno 585 a Tib. Sempronio Graccho [3]).

1) Quantum civium numerus creverit circa haec tempora, cognoscitur ex Livio, fuere enim

anno	613	a. u.	328,442	civium	capita.	(Liv. 54.)
»	617	»	323,000	»	»	(Liv. 56.)
»	624	»	317,823	»	»	(Liv. 59.)
»	629	»	390,736	»	»	(Liv. 60.)
»	636	»	394,336	»	»	(Liv. 63.)

Huc pertinet etiam dictum Scipionis, qui Tribuno Carboni quid de Tib. Gracchi caede sentiret, quaerenti, cum respondisset, jure eum caesum esse, si occupandae reip. animum habuisset, et tota concio acclamasset: hostium, inquit, armatorum totiens clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia. Valer. Max. 6. 2. 3, Aurel. Vict. 58. Vellej. 2. 4, Plut. Apophtegm. p. 201. Sub Imperatoribus demum remedium paratum legibus, per quas manumittendi libertas variis modis restringebatur, lege Junia Norbana, Aelia Sentia et Fusia Caninia (vide Spanh. l. l. 2. p. 83, Bach. histor. Jurispr. Rom. p. 306 sq., Heinecc. Ant. rom. l. 1. Tit. 7. p. 111 et Tit. IV. V. p. 93 sq., Göschen in Savigny Zeitschrift für Rechtswissensch. 3, 2. p. 257).

2) Quod adeo gratis animis acceptum esse a tota civitate dicit Livius 9. 46, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, eo facto invenerit.

3) Cicero de orat. I. 9: quod nisi fecisset, rempublicam, quam nunc vix tenemus, jam diu nullam haberemus. Aurel. Vict. 3. 57. Liv. 45. 15 dicit eos in unam tribum Esquilinam conjectos fuisse.

Quae postea Sullanarum Marianarumque partium fecere Censores, hic locum non habent.

CAPUT V.

§. 1. Exstinctae esse videbantur seditiones, quae antiquis temporibus agitaverant rempublicam quum denuo, omni hoste remoto, ut antea, factiones rempublicam turbare inciperent. Valde autem differebant hae turbae a maximis acerrimisque illis contentionibus inter Patricios et Plebejos, per quas, sacrosanctis magistratibus tribunis plebis creatis, justae libertatis fundamenta substructa sunt eaque validis monumentis vallata et ita aequata civitas, ut quisque civis maxime esset pleneque civitatis poliretur, orireturque illa, quam Scipio apud Ciceronem [1]) laudibus in coelum effert temperatio reipublicae. Caussae quidem novorum certaminum caedem fuere quae antea, sed factiones non eaedem. Etiam tempora ipsa magnum discrimen induxerant. Non jam Patricii amplius servili imperio exercere Plebejos et soli in imperio agere et in plebem, omni honorum aditu prohibitam, impensius dominari volebant, oblitteratum jam erat horum nomen, novae exstiterant factiones, nihil ex prisco illo more retinentes, quo egerant inter se Patricii et Plebeji, ut quanquam inter se discordes, communem tamen utilitatem privatae anteponere, discordias conditionibus sanare, non ferro dijudicare, pro justo haberent. His vero temporibus nemo jam in animo habebat communes reipublicae utilitates, pro se quisque consilia agitabat aut suis utilitatibus prospiciebat; certabatur vero, non ut antea, civiliter jure, legibus, disceptando, sed armis jam civis in civem grassabatur, vi ar-

1) Cicero de legib. 3. 8—11 quo loco optime de bonis et malis a tribuniciis procellis profectis disputat. De tribunorum contentionibus ad extollendam plebem vid. not. 19 ad Sigon. de Ant. J. R.

mata omnia in comitiis agebantur [1]). Nam inde a Graecis litteris in civitatem admissis [2]), Asiaque domita [3]) mores non paullatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitabantur. — Sic vitiorum illecebris, cupiditatum et lubidinum lenociniis et irritamentis abundante republica, virtutibus omnibus, salutis et prosperitatis romanae firmamentis, continentia, frugalitate, temperantia, vitae simplicitate morumque sinceritate, exulantibus, immensis divitiis Romae congestis, quae tamen potentium solum opes auxerant, qui foenus exerçendo abominandum in modum, publica conducendo, socios vexando, provincias et regna exhauriendo, plus quam regias opes sibi paraverant, inaequalitas fortunarum, magnorum civitatium pestis, luxus, avaritia et omne publicae privataeque corruptelae genus, disciplinam, instituta, leges, rempublicam pessumdedere. Ita exoleto jam nomine Patriciorum novum exstiterat nobilium i. e. eorum, qui opibus suis nixi omnes honores a majoribus sibi traditas, omnique ratione obvallatas tenebant, ut non minore industria opus esset novorum hominum ad effringendos nobilitatis carceres, quam olim fortissimorum illorum tribunorum, qui plebis jura defendebant [4]). Optimates enim nominabantur, qui misti ex Patriciis et Plebejis (quorum inde ex tempore, quo magistratus cum plebe fuerant communicati, plures, potentes facti, Patriciorum mores animosque induerant), optimas in republica partes [5]) sequi prae

---

1) Appian de bellis civ. 1. 1. — 2) Liv. 25. 40.

3) Plin. H. N. 33. 11, Flor. 3. 12, Justin 36. 4, cf Cic. pro Manil 22, pro Murena 5. Dixerat M. Cicero pater Romanos similes jam esse Syrorum venalium, ut quisque optime Graeca sciret, ita esse nequissimum (de orat. 2. 66). Dixerat M. Cato, vir frugi et praeclaris moribus excellens, dum in senatu (seu in populi concione Diod. 32. Ecl. 1) vituperaret grassantem Romanorum luxuriam: in hac sola urbe ponticorum salsamentorum cadi pretiosiores sunt bobus jugalibus et delicati pueri agris. Excerpt. Vatic. Diod. 37 — 40. §. 2.

4) Cic. de lege agr. 2. 1, pro Murena 7.

5) Cic. pro Sextio 45.

se ferebant i. e. Senatum reipublicae custodem, praesidem, propugnatorem suo splendore confirmare volebant, re autem vera, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabant.

§. 2. Tristissima autem erat plebis conditio, quae partim nullam rem familiarem ab initio habens (libertinos dico), partim delectibus et militia attrita, agro ad vitam tolerandam aut oppignerato aut in solutum dato, nullum laborum et periculorum suorum fructum ad se redundare videbat, contra paucis, qui rempublicam quocunque modo peculabantur, opes vel sine labore et contentione cumulari dolebat, ideoque obnoxiam se praebere lubidini potentium, superbiae nobilium, injuriis Optimatium, in foro suffragia sua vendere eoque modo vitam sustentare incepit [1]). Egestate denique ac fame ad ultima saepe redacta, comitia turbare [2]), res novas exoptare, odio suarum rerum mutare omnia studere coepit. Quae mala indies majora eo tandem progressa erant, ut L. Marcius Philippus, cum Trib. pleb. esset 648, publice profiteretur non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent familiarem [3]). Habuit tamen ut antea defensores suos plebs, Populares per invidiam nominatos et praecipue tribunos, telum a majoribus libertati paratum, qui tuendo populi caussam, contentiones ac turbas excitarunt eas [4]), quibus tandem libertati romanae dies extremus allatus est, quippe qui utilissimam reip. rem agressi, primo leniter agerent nec nisi injuriis Optimatium vim opponerent; deinde vero, praecipue inde a L. Apulejo, qui nihil aliud quaerebat, quam omnibus modis populi auram aucupari, largitionibus plebem concitare, aerarium effundere, haud immerito dicuntur saluti rei-

---

1) Vide bellissimam de plebis miseriis Tib. Gracchi orationem apud Plutarch. Tib. Gracch. 9.

2) Festus: vox Respublica. — 3) Cic. de offic. 2. 21.

4) Cic. pro Cluentio: ut mare, quod sua natura tranquillum est, ventorum vi agitatur atque turbatur, sic populus Romanus sua sponte est placatus, hominum seditiosorum vocibus ut violentissimis tempestatibus concitatur. Cf. Liv. 28. 27.

publ. finem fecisse. Medela tamen potuisset adhiberi his malis, si Optimates inutilem potentiam, invidiosas opes, cupiditatem dominandi praecipitem et lubricam verae, gravi, solidae gloriae non anteferre, et rempublicam in summum discrimen adducere maluissent quam de suo jure decedere, maxime publico agro diviso, quem notis artibus sibi vindicaverant [1]). Sic omnibus in dies in pejus ruentibus, ferroque grassantibus Optimatibus in eos, qui populi caussam susceperant, tribuni, plebis miseriti, cum nihil nisi repulsas tulissent, et sociis etiam, maxime de lege agraria querentibus, displicuissent, romanam superbiam exuentes, ultimum tandem et periculosissimum remedium arripiebant [2]) et socios sollicitaverunt leges ferendo de civitate, cujus maximo illi desiderio semper flagrabant, iis danda, ut eorum auxilio consilia sua patrarent [3]).

§. 3. Premebantur autem socii iisdem malis, quibus plebs, et etiam pluribus, quippe qui peregrini essent, nulla pars populi terrarum orbis domini. — Hi enim cum ad tot gravia bella fortium fideliumque virorum infinita millia paravissent, quod nisi factum esset, veteres Romani vix libertatem tueri, nedum imperium tantum condere potuissent, id praemii consecutos se videbant, ut specioso societatis nomine [scilicet quorum in pace et conditionibus scribendis nulla ratio haberetur [4])], stipendiis, delectibus, tributis exhausti, viris opibusque spoliati, alios praeda, agris, provinciis locupletarent, servos barbaros tyrannorum alerent in eam civitatem facile recipiendos, cujus ipsi erant expertes, ipsi autem fortunas, sanguinem, vitam impenderent, ad paucitatem et egestatem redigerentur et nulla spe reliqua ad interitum tenderent. Quam molestam iis fuisse cre-

1) Appian de bell. civ. I. 7, Sallust. bell. Jugurth. 41. 42.

2) Novum enim sic adjiciebatur malum, cum plebi et sociis una servire non in facili esset, coloniis enim plebem levare tentabant deducendis in eorum ipsorum agros, quorum patrocinium susceperant aut suscepisse se simulabant.

3) App. de bell. civ. I. 23.

4) Liv. 32. 32 sq.; 33. 11 et 12.

dimus recordationem praeteritae libertatis, qua fruiti erant, antequam foedere Romano aliorum nutibus parere didicerant! Magis autem quam Romani in bellis non pro se sed ad alterius populi libidinem et utilitatem susceptis, omnibus belli malis obnoxii erant, quod arma ne pro se quidem tuendis expedire non licebat, dominorum auxilium erat exspectandum [1]). Si autem injuriis et vexationibus exasperati arma capiebant, immo vero cum oneri ferendo non pares essent et vacationem modo a muneribus peterent, tanquam rebelles, non ad ignoscendum inveniebant faciles dominos et, quae aequitas suadere poterat sequentes, sed ad castigandum increpandumque, veteres novis injuriis cumulandum et crudeliter saeviendum et internecione delendum pronos [2]). Accedunt, quae singulorum pop. Rom. magistratuum petulantia ac libidine in eos commissa [3]), nec a Senatu vindicata sunt [4]). His adde liberas Senatorum legationes, imperatorum per Italiam itinera [5]). Nullus autem finis malis exspectandus, ejectis saepius ex urbe sociis, Italiae insuper majori parte per ampla latifundia divitum occupata, qui posthabitis ingenuis, quos ne ad condncendos quidem agros admittebant, modico pretio parandis, ut lucrum esset tanto majus, servis malebant uti a militia vacuis, quibusque merces operae exigua aut nulla esset solvenda [6]). Hinc pretia rerum mutabantur, prout aliquis praevalens manceps annonae flagellabat [7]). In hac tamen solitudine et penuria omnium rerum eadem exigebantur tributa, quae persolvenda erant, cum opibus hominumque frequentia abundarent [8]). Tristissimam autem

1) Liv. 3. 19. — 2) Liv. 4. 17, 22; 27. 9, 38; 29. 15; 36. 3.

3) Liv. 42. 1. 3, Valer. Max. 1. 1. 20, Liv. 29. 16 et 17, Gellius 10. 3.

4) Vide Catonis orationem ap. Sallust. bell. Catil. 52. et bell. Jug. 21.

5) Cic. Manil 13.

6) App. de bell. civ. 1. 7, 18. Plutarch. Tib. Gr. 8.

7) Plin. 10. 33; 33. 57.

8) Liv. 6. 12 dicit: innumerabilem multitudinem liberorum

fuisse omnium sociorum conditionem ex eo apparet, quod etiam coloniarum, quae multo meliorem sortem quam ceteri socii nactae erant, defectiones (etiam in bello sociali magna earum pars adversus Romanos conspiravit) saepius memorantur cum ceteris Latinis et Italicis sociis, ut satis constet, ne iis quidem suam conditionem ac statum placuisse.

CAPUT VI.

§. 1. His praemissis sufficiat legum hic recensum subjicere [1]), per quas plebi romanae sociisque auxilium parare tentatum. Fuerunt autem hae praecipue *leges agrariae, de civitate sociis danda,* et *judiciariae,* quae non minores turbas excitarunt, maxima infamia notatis judicibus, apud quos nullum auxilium erat adversus Optimatium injurias, cum judicia primo apud senatum, tum apud equites essent. Ad exasperandas autem has contentiones multum contulit bellum contra Jugurtham gestum, qui largitionibus propemodum totum senatum emit [2]).

§. 2. Primi autem gradus ad Optimatium potentiam infringendam ante seditiones Gracchanas facti per *leges tabellarias*, quarum duas jam ante hoc tempus perlatas legi-

---

capitum in iis fuisse locis, quae nunc, vix seminario exiguo militum relicto, servitia romana ab solitudine vindicant.

1) In his Zumptio potissimum duce in Annalibus Romanis utemur.

2) Vid. Jugurthae verbum: O urbem venalem et mature perituram, si emtorem invenerit ap. Liv. Ep. 64; Oros. 5. 15; Sallust. Jug. 35; Flor. 3. 1.

De his omnibus seditionibus dici potest, quod Cicero dicit de orat. 2. 48: *Omnium seditionum genera, vitia, pericula collegi, conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes molestae semper seditiones fuissent, justas tamen fuisse nonnullas et prope necessarias.*

mus [1]), primam Gabiniam (615 a. u.): *ut in magistratibus creandis non voce, sed tabellis suffragia darentur;* alteram L. Cassii Longini (617), severissimi illius judicis [2]), auctore Scipione Africano: *uti Pop. Rom. in omnibus judiciis, perduellione excepto, per tabellam suffragium esset* [3]).

§. 3. 621. *Tib. Sempronius Gracchus trib. pleb.*, vir summis animi ingeniique dotibus praeditus et eloquentiae inprimis gratia praeclarus, vita innocentissimus, proposito sanctissimus, tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta et natura et industria mortalis conditio recipit [4]), postquam M. Octavio Caecinae, collegae, quem Optimates in suas partes traxerant, novo exemplo populi suffragiis magistratum abrogaverat, revocavit legem agrariam Liciniam: *ne quis plus quingentis agri jugeribus possideret* (adjecit tamen, *licere praeterea pro singulis filiis dimidiam hujus modi partem habere*), *utique tresviri crearentur, qui, quod superesset agri publici, plebi dividerent, et ad curanda opera rustica certum numerum liberorum hominum aleret quisque, qui ea, quae agerentur, inspicerent dominoque renuntiarent.* Tresviri agris dividendis coloniisque deducendis creati sunt Tib. et C. Gracchus et Appius Claudius, socer Tiberii, qui iidem *pecuniam, quae ex Attali, regis Pergameni hereditate obvenisset, ad agrum colendum instrumentumque rusticum comparandum colonis dividere* jussi sunt. Leniter initio egerat Tib., sed cum consiliis suis utilissimis Optimatium avaritiam obstare videret, accensus, et quoquo modo plebem devinciendam ratus, ut tribunatum sibi prorogaret, novas leges tulit *de minuendo militarium stipendiorum tempore, de provocatione a judicibus ad populum, ut senatores equitesque pari numero judicarent, denique et socios in spem melioris conditionis erexit.*

---

1) Tabellam vindicem tacitae libertatis nominat Cic. de leg. 3. 17. Cf. de leg. agrar. 1. 2.

2) Cic. pro Roscio Amer. 30.

3) Cic. de leg. 3. 16; pro Sextio 48; Brutus 25; de amicit. 12.

4) Vellej. 2. 2; Aurel. Vict. in Tib. Gr.; Appian de bell. Civ. 1. 9; Cic. Brutus 25, 27; de Harusp. resp. 20.

Sed die Comitiorum Tib. a P. Scipione Nasica Consulari et Pont. Max. (quoniam P. Mucius Consul a talibus consiliis abhorrebat) tumulto facto, cum trecentis asseclis in Capitolio occiditur eorumque corpora in Tiberim projiciuntur [1]).

623. *C. Papirius Carbo trib. pleb.* tulit:

1. *legem tabellariam de suffragiis, ut populus in jubendis vel vetandis legibus tabella uteretur;*

2. *de tribunis plebis reficiendis*, quam P. Scipio Afric. et C. Laelius dissuadent [2]).

625. *Novae seditiones a Triumviris agro dividendo, C. Graccho, C. Carbone, M. Fulvio excitantur*, quorum injuriis adversus socios, quibus etiam de privatis possessionibus multae molestiae exhibebantur, cum P. Scipio Afric. gravissime se opposuisset, mane in lectulo mortuus inventus est [3]).

628. *M. Junius Pennus, trib. pl.* pertulit *legem Juniam de peregrinis urbe pellendis*, inter quos pater M. Perpennae olim consul a Sabellis repetitur, et in peregrinitatem redigitur, mirabili casu, ut, qui consul Pop. Rom. fuisset, civis rom. non fuisse judicaretur [4]).

629. *M. Fulvius Flaccus, consul*, ut majori gratia devincti socii de agro contendere desinerent, *primus omnium proposuit rogationem de civitate sociis Italicis danda*, quam cum Senatus impedire vellet, consul adversus Salluvios Gallos, Massiliensium accolas, mittitur [5]).

631. *C. Gracchus, trib. pleb.*, quem mors fraterna, pietas, dolor, magnitudo animi ad expetendas domestici

1) Liv. 58; App. l. l. 1, 9—17; Plut. Tib. Gr. cap. 8 sq.; Florus 3. 14; Valer. Max. 3. 2. 7; Cic. ad Herenn. 4. 22; pro Sextio 48; Phil. 8. 4.

2) Liv. 59; Appian l. l. 21; Cic. de amicit. 25.

3) App. l. l. 1., 18—20; Vellej. 2. 4; Cic. pro Milone 7; Ep. ad Diversos 9. 21.

4) Festus: vox Respublica; Cic. Brutus 28; de offic. 3. 11; Valer. Max. 3. 4. 5.

5) App. l. l. 1. 21, 34.

sanguinis poenas excitabat, *legem agrariam fratris renovat*, *legem primam fert frumentariam de frumento menstruo plebi viritim dividendo ex publico*, *porro de libertate civium rom.*, *ne de capite civis injussu populi judicaretur*, *et leges varias alias in plebis commoda*. Quibus rebus effecit, ut in annum sequentem tribunus plebis, non petens, reficeretur [1]).

632. *C. Gracchus* tulit *legem judiciariam*, *qua judicia a Senatu ad equites transtulit* [2]). Idem *legem de provinciis ordinandis* tulit, ut provinciae ante comitia futuris magistratibus decernerentur. Tulit porro: *ut duodecim coloniae deducerentur extra Italiam* [3]), in quas singulas tria civium rom. millia mitterentur. His ceterisque ejus actionibus summa ope senatus resistit, adversario comparato *M. Livio Druso Trib.*, cujus largitionibus longe majoribus studio abreptus favet, inprimis dum C. Gracchus in Africa commoratur, III vir coloniae Carthaginem, Q. Rubrio auctore, deducendae creatus. Itaque reversus ille *legem de suffragiis sociorum* [4]) *perferre non potest* et privatus inimicitiis adversariorum objicitur, quae morti, fratris simili, eum dant [5]).

Eodem anno *M. Livius Drusus* fert legem *de tergo sociûm latini nominis* [6]).

1) Cic. Catil. 4. 2; pro Sextio 48; Cluent. 55; pro Rabir 4; de offic. 2. 21.

2) Plutarchum in C. Graccho cap. 5 dicentem C. Gracchum judicia inter Senatum et equites communicasse, multis veterum testimoniis fallere ostendit Manut. de Leg. Rom. cap. 15.

3) Vellej. 2. 15.

4) Jam inter ipsas Gracchi rogationes Senatusconsult. factum erat, ut consules omnes, praeter Romanos, urbe exire juberent Cic. Brut. 26. Plut. C. Gracch. 12.

5) Liv. 60; Plut. C. Gracch. 3 sq.; App. l. l. 21—27; Vellej. 2. 6; Florus 3. 15.

6) Plut. C. Gracch. 9. Ea lex tamen postea non observata est, vid. Sallust. Jug. 66.

633. *M. Octavius trib. legem frumentariam Semproniam C. Gracchi, nova abrogavit* [1]).

635. *C. Marius trib.* legem fert *de suffragiis ferendis,* renitente senatu et Cotta et Metello Css. [2])

642. *C. Memmius trib.* ad populum fert *de Jugurtha rege Romam vocando ad caussam dicendam* [3]).

644. *C. Mamilius Limetanus trib.* fert, *ut quaereretur de pecuniis a Jugurtha captis.* Hac lege damnantur multi, quatuor Consulares, L. Bestia, C. Carbo, Sp. Albinus, L. Opimius, ipse Pontifex C. Sulpitius Galba, qui primus sacerdos judicio publico damnatus est [4]).

647. *Sp. Thorius trib.* legem tulit: *ne ex lege Sempronia dividerentur amplius agri publici, sed in possessione dominorum relinquerentur, modo tributa penderent, ea vero pecunia viritim plebi agros non habenti divideretur.* Non multo tamen post ab alio tribuno et hoc vectigal abrogatum est [5]).

Eodem anno C. Marius, homo novus, populi jussu Numidiam provinciam accepit, in supplementum exercitus etiam capite censos legit [6]).

648. *Q. Servilius Caepio Consul legem* tulit *judiciariam, qua judicia equitibus cum Senatu communicavit* [7]), *vel soli senatui restituit* [8]).

650. *L. Cassius Longinus trib.* tulit: *uti quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu nec esset* [9]).

---

1) Hanc legem Cicero dicit et Reip. tolerabilem et plebi necessariam, ergo et civibus et Reip. salutarem de offic. 2. 21; Brut. 62.

2) Plut. Marius 4; Cic. de leg. 3. 17.

3) Sallust. Jug. 32. — 4) Sallust. Jug. 40.

5) Appian. l. l. 1. 27. Vitiosam et inutilem hanc legem dicit Cicero Brut. 36.

6) Sallust. Jug. 84.

7) Cicero pro Cluent. 51; Brut. 43, 86; de orat. 2. 55; de invent. 1. 49; Valer. Max. 6. 9. 13.

8) Tacit. Annal. 12. 60. — 9) Ascon. Pedian. in Cornel. Ciceron.

C. Servilius Glaucia trib.:

1. legem tulit: *uti contra Caepionis legem Serviliam, equites soli ex lege Sempronia judicarent;*

2. *uti Latini damnatione civis Rom. cives ipsi possent fieri* [1]).

L. Marcius Philippus trib. iterum *legem agrariam* tulit, sed facile antiquari passus est [2]).

Cn. Domitius Ahenobarbus trib. legem Domitiam *de sacerdotiis* fert, qua potestas sacerdotum cooptandorum ad populum transfertur [3]).

654. *L. Apulejus Saturninus* per vim (occiso palam Comitiis Anuio competitore) *tribunus iterum factus*, cum C. Servilio Glaucia, clam favente Mario, consule VI (qui anno superiore Cimbros in campis Raudiis non procul Verona ingenti caede vicerat et deleverat), novis legibus rempublicam perturbat: *ut Gallicus ager, quo C. Marius Cimbros expulerat, Romani non Gallici juris amplius esset populoque divideretur; ut veteranis centena agri jugera in Africa dividerentur, uti semisses et trientes ex lege Sempronia pro frumenti modiis singulis aerario pop. Rom. solvendi remitterentur, populoque frumentum menstruum gratis divideretur; ut in Sicilia, Achaja et Macedonia, ubi populo videretur, coloniae deducerentur et C. Marius in colonias singulas ternos cives Rom. facere posset.* Sed cum per vim pararet, ut in annum sequentem tribunus reficeretur, et Glaucia (qui competitorem C. Memmium in ipsis Comitiis necaverat) consul crearetur, C. Marius senatus auctoritatem secutus, seditiosos cives armis in Capitolium compellit, deditosque in tumultu trucidari patitur [4]).

656. *T. Caecilius Didius consul* fert *legem Caeciliam*

---

1) Cic. Brut. 62; in Verrem 1. 9; pro Balbo 23, 24; de orat. 3. 41.

2) Cic. de offic. 2. 21.

3) Cic. ad Brut. Ep. 5.

4) App. l. l. 1. 28—32; Aurel. Vict. 73; Plut. Marius 29 sq.; Florus 3. 16; Cic. pro Balbo 24; ad Herenn. 1. 12, 4. 22; pro Rabir. perd. reo 7.

Didiam de legibus per trinundinum promulgandis nec per Saturam ferendis. [1])

659. *Css. L. Licinius Crassus* et *Q. Mucius Scaevola* ex *Senatuscons. legem* promulgant *Liciniam Muciam de civibus regundis*, qua magnus sociorum numerus pro civibus se gerentium in suas civitates remittebantur [2]).

CAPUT VII.

§. 1. Sic Optimates ter cruentam victoriam reportaverant foedeque semper exercuerant. Tuta iis stetit sanguine parta potentia inde a Saturnini tribunatu usque ad M. Livium Drusum. Nituerunt per hoc tempus oratores maximi L. Crassus, M. Antonius aliique, juris scientia Q. Mucius Scaevola; Pacuvius et Accius aliaque clara ingenia [3]). Sociorum vero, quorum tamen virtute bello Cimbrico Italia defensa fuerat, in civitatem recipiendorum, nulla mentio facta, immo adhuc exasperati sunt lege Licinia Mucia. Hi demum quartam et perniciosissimam excitavere seditionem; agitabat postulata sociorum apud M. Livium Drusum, trib. anno 663, Q. Pompaedius Silo, vir magnus et memorabilis Drusique amicus, Latinorum Dux [4]). De hoc tribuno autem pluribus agendum credimus.

§. 2. *M. Livius Drusus* sine dubio referendus est inter nobilissima illa reip. romanae nitidissimo fulgore, siderum instar fulgentia ingenia, quae Reip. sincero animo

1) Cic. ad Attic. 2. 9; Phil. 5. 3; pro Domo 20.

2) Ascon. Ped. ad Ciceron. Cornel.; Cic. de off. 3. 11; pro Balbo 21, 24.

3) Vellej. 2. 9.

4) Valer. Max. 3. 1. 2. Aurel. Victor. Plut. Cato minor C. 2. Constat autem Latinos et Italicos saepe absolute socios appellari. Verum et aliquando Latini et Italici confundebantur, ita Vettius Pelignus, qui Latinus non erat, ita tamen appellatur apud Valer. Max.

studentia, sudandum esse pro communibus commodis, propriam salutem posteriorem salute communi ducendam, adeundas inimicitias, subeundas pro republica maximas tempestates, extrema quaeque et perpeticnda et tentanda esse, sibi persuaserant. In multis autem similis erat Drusus Gracchis; vidimus enim et ipsum Drusum ab initiis bonarum actionum ad perditas progredientem, porro optimum civem in corruptissima civitate, in divitiarum regno, quod tum erat, eundum paene exitum vitae sibi parare, quem Gracchi, qui et ipsi a bonis initiis progressi, ira, certamine cum adversariis contracto, praeter ipsorum naturam quasi ventis se in actionibus suis extremis fatebantur multa permisisse [1]). Deinde eadem etiam sibi proposuerat Drusus, ac Gracchi; legibus enim tribuniciis ruinam Reip. remorari veteremque aequalitatem ordinum reduci posse credebat. Sed uterque oblitus erat tempora valde esse immutata, se non jam vivere inter Romanos veteres illos, qui cariorem patriam sibi quam semetipsos esse debere credebant, sed inter Romanos, in quibus nihil Romani et majorum suorum digni amplius reperiebatur. Sed quanquam necesse est consilia et exitum Drusi et Gracchorum eadem fuisse dicamus, valde tamen differebant quoad statum in republica et via, qua malis reip. medelam afferre posse credebant. Druso omnia favere videbantur, ita ut solus fere interitum libertatis Romanae avertere potuisse — siquidem id fieri omnino poterat — putandus sit. Gracchorum enim aliorumque tribunorum exemplum ante oculos habebat, et videbat, quae illis impedimento in consiliis exsequendis fuissent, qui extrinsecus et paullo sincerius et acrius mala aggressi erant, non universis studuerant, sed parti civium solum consuluerant, unde altera parte neglecta majores, quam quibus pares essent, inimicos sibi pararunt. Drusus contra non singulari quodam impulsu incitatus [2]), sapienti moderatione totam

---

1) Plut. Compar. Agid. et Cleom. cum Gracch. 5.

2) Plut. Tib. Gracch. 8: Cum Numantiam pergeret per Etruriam Tiberius, solitudinesque agrorum spectaret, agricolas autem

totam rempublicam spectasse [1]) et ut paucis absolvam, omnia consilio, antequam ageret, bene perpenso, egisse videtur. Porro erat in favore senatus, cui ordini pater ejus se commendaverat [2]) et ita sperare poterat, se cum hujus auxilio consilia sua contra Optimates exsecuturum, eoque modo reconciliatorem ordinum evasurum. Sed paullo maturius consilia ejus senatui, cujus auxilio, sub praetextu judiciorum ei procurandorum, alias leges, quae ad plebis et sociorum commoda pertinebant, perferre conatus est, patuere. Itaque et hunc ultimum pro romana libertate conatum irritum fieri videmus, Drusumque, non, ut voluerat, confirmare rempublicam, sed perturbare, tempora denique illa luctuosa maturare, quae liberos in communem matrem Romam, cives in cives armabant. Sed M. Drusi ingenium, mores et actiones paullo altius inspiciamus ex scriptoribus, qui ejus mentionem injecerunt.

§. 3. *Vellejum* [3]) turpi erga Tiberium, qui ad Drusum genus maternum referebat [4]), adulatione, modum in Druso laudando excedere, judicant praeter alios Puteanus [5]), Manutius [6]) et Freinshemius [7]). Sed tamen as-

---

et pastores servitia esse peregrina et barbara, tunc primum illam actionem, ex qua infinita fluxerunt mala, animo complexus est.

1) Quippe qui ut omnes sibi devinciret et invicem reconciliaret permiserit Latinis civitatem, plebi agros, equitibus curiam, senatui judicia Aurel. Vict.

2) M. Livius Drusus aetate quidem juvenis ille, verum omnibus corporis atque ingenii dotibus erat instructus, quippe clarissimo patre natus, quem eloquentia et divitiis inter primos celebrem Pop. Rom. ob splendorem generis ac virtutum unice dilexerat. Ipse quidem inter aequales suos eloquentia et opibus eminebat. Idem ob constantem in omnibus dictis fidem maximam sibi auctoritatem comparaverat. Aderat etiam ingens magnitudo animi, adeo ut solus idoneus Senatus patronus fore videretur. Diod. l. 36. Ecl. 3. Cf. Excerpt. Vat. 37—40. §. 3.

3) Vellej. 2. 13.

4) Vid. Sueton. Tib. 1. Valer. Max. 11. 9, cum interpret.

5) Ad l. l. Vellej. — 6) Ad Ciceron. pro Rabir. Posth. 7.

7) Supplem. Liv. 71. 25.

sentire ei cogor, dicenti, *Drusum fuisse virum nobilissimum, eloquentissimum* et maxime in eo quod adjicit, *meliore in omnibus ingenio animoque quam fortuna usum.* Hoc ut credam me impellunt praeter Sallustium, qui ejus acta simili modo defendit [1]), tum ultima ejus verba [Alexandri morientis similia [2])], et alia quae de eo referuntur [3]), tum praecipue Ciceronis, viri ceterum Optimatium factioni studentis Gracchorumque conatus pluribus locis castigantis, multa de Druso honorificentissima testimonia. Nominat eum *sodalem suum* [4]), *bonum virum* [5]) *clarissimum et nobilissimum tribunum plebis* [6]), *gravem oratorem* dicit, *ita duntaxat, cum de republica diceret* [7]), *laudat ejus animum civilem,* qui cum omnibus clarissimis viris fuerit cum Consulibus contra Saturninum [8]), denique *mortem ejus luget* [9]). Immo vero inde ab adolescentia mala reipublicae (equitum judicia) perspecta habuisse et pro viribus impedisse traditur, dicit enim Seneca [10], *eum, cum pupillus adhuc esset et praetextatus, judicibus reos commendasse et se sic interposuisse, ut quaedam judicia ab illo rapta esse constaret. Unde solebat dicere, sibi uni, ne puero quidem, unquam ferias contigisse.* Ob id etiam Cicero [11]) dicit, in eo adolescente gravitatem singularem fuisse. Quod autem *Aurelius Victor* [12]) *eum nominat superbum et ambitiosum* et *Valerius Maximus* [13]) *refert inter exempla superbiae et*

---

1) De ordinanda rep. 2. 6. — 2) Justin. 12. 18.

3) Vellej. 2. 14: Cum ultimum redderet spiritum, intuens circumstantium moerentiumque frequentiam, effudit vocem convenientissimam conscientiae suae: *Ecquandone,* inquit, *propinqui amicique, similem mei civem habebit respublica.* Cf. Plut. reip. gerend. praecept. p. 800.

4) De nat. Deor. 3. 32. — 5) Pro Domo 19.

6) Pro Cluentio 56, pro Rabirio 7, pro Domo 46, pro Milone 7.

7) Brut. 49, 62. — 8) Pro Rabir. perduell. reo 7.

9) Ad Herennium 4. 22. — 10) Seneca de brevitate vitae 6.

11) De offic. 1. 30. — 12) In Liv. Druso.

13) L. 9. cap. 5.

impotentiae, credo Drusum in eo eadem uti sorte, qua multi ejus similes, qui pro bono Reipubl. se stare persuasum habentes, vim vi repellunt eaque agitant, quae a proposito eos abducunt itaque ab aequalibus et a posteritate judicantur potius ex iis, quae irati et incensi, ut homines, coacti fecere, quam secundum ea, quae in consilio ab initio habuere. Porro etiam crediderim multa, ut de Gracchis, qui regiam dignitatem sibi petiisse referuntur [1]), etiam de Druso, qui et ipse cupidine dominationis socios ad spem civitatis erexisse dicitur, a Floro et aliis [2]), esse ementita et ficta, quibus invidia facta incerti vulgus [3]) favor ingens [4]) in iram et odium verteretur.

§. 3. Judiciaria lege Gracchi diviserant populum Romanum et bicipitem ex una fecerant civitatem. Equites quidem non ut antea senatores [5]) tam facile pecunia corrumpi poterant (quanquam etiam hac in re non minori cum flagitio ab iis administrata sunt judicia, ut Drusi le-

---

1) Vellej. 2, 4 et 6. Diodor I. 34. Ecl. 2.

2) Flor. 3. 18. Dio Cassius l. 109.

3) Cicero pro Murena 17: Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, et quantas aestus habet ratio comitiorum? Dies intermiasus unus aut nox interposita saepe perturbat omnia et totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Saepe etiam sine ulla aperta caussa fit aliud atque existimamus, ut nonnunquam ita factum esse etiam populus admiretur, quasi vero non ipse fecerit. Nihil est incertius vulgo, nihil obscurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Nam ut tempestates saepe certo aliquo caeli signo commoventur, saepe improviso, nulla ex certa ratione, obscura aliqua ex caussa excitantur: sic in hac comitiorum tempestate populari, saepe intelligas quo signo commota sit, saepe ita obscura est, ut casu excitata esse videatur.

4) Plin. 25. 21: Cui ante omnes plebs stans plausit, Optimates vero bellum Marsicum imputavere.

5) Aurelium Cottam, Salinatorem, M' Aquillium, qui Asiam vicerat, repetundarum reos elapsos esse corruptis judicibus senatoriis dicit App. l. l. 1. 22.

ges declarant), sed judiciaria potestate subnixi [1]), ut qui fata fortunasque principum haberent in manu, interceptis vectigalibus, peculabantur suo jure rempublicam [2]), eos qui provincias ab injuriis publicanorum defendebant, in judicium vocabant, iniquique judicii procella perverterunt. Damnaverant vero cum multos alios viros clarissimos et innocentissimos, tum recenter (662) Rutilium, virum non saeculi sui, sed omnis aevi optimum, qui, cum Q. Mucium Scaevolam in Asiam legatus sequeretur, Asiaticos a publicanorum injuriis defenderat [3]). Quare si Cicero [4]) dicit, equestrem ordinem [5]) annos prope quinquaginta i. e. a C. Graccho ad Sullam, continuo judicasse et hoc toto tempore ne tenuissimam quidem suspicionem acceptae ob rem judicandam pecuniae constitutam fuisse, favet ut semper nimis huic ordini [6]). Hanc impotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis cum senatus, qui crebris damnationibus debilitatus, omne decus majestatis amiserat, ferre nollet, omni vi niti coepit, ut ad se judicia transferrentur. Quare hinc sibi progrediendum esse recte vidit Drusus, et pro senatu stare ita visus est, ut Cicero [7]) senatus propugnatorem atque paene patronum eum dicat. Melius tamen perspiceremus consilia Drusi, si sciremus, quo tempore, quo ordine

---

1) Judicantium in Rep. potentiam describit Cicero in Verrem 2. 12.

2) Florus 3. 12 et 17.

3) Liv. Ep. l. 70; Oros. 5. 17; Valer. Max. 2. 10, 5; 6, 4, 4; Cicero de orat. 1. 53; pro Rabir. P. 10; in Pison. 39; pro Fontej. 13; de nat. deor. 3. 32; Seneca de provident. 3; Quintil. 11. 1. 12.

4) In Verrem 1. 13.

5) Vide equitum per hoc tempus historiam ap. Beaufort de la rép. rom. T. 2. Chap. 2. Le Beau: Sur la cavalerie des légions Rom. III et IV (Mém. de l'acad.) ad Plinium 33. 2.

6) Pro Plancio 9: Flos equitum rom., ornamentum civitatis, firmamentum Reip. publicanorum ordine continetur. Cf. pro Manil. 7.

7) Pro Milone 7.

leges suas tulerit. Haec cum ignota sint, acquiescendum nobis est in T. Livii verbis [1]) qui dicit: *senatus caussam susceptam ut majoribus viribus tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis Romanae sollicitavit iisque adjuvantibus per vim legibus agrariis frumentariisque latis, judiciariam quoque pertulit. Cum deinde promissa sociis civitas praestari non posset, irati Italici defectionem agitare coeperunt* [2]).

Tulit igitur Drusus ut plebem ad partes suas traheret propitiisque uteretur tribubus:

1) *Legem agrariam de coloniis deducendis*, ut per Italiam atque Siciliam et alias prius decretae ex lege Sempronia deducerentur, *adjecit frumentariam aliasque largitiones* quae forsitan modum excedebant in eumque finem institutae erant, ne senatui idem remedium in se esset, quo contra C. Gracchum usus fuerat. Ipse enim professus esse dicitur, nemini se ad largiendum praeter coelum et coenum reliquisse. At tamen ne sumptibus succumberet aerarium in cudendis nummis argento partem aeris octavam miscendi auctor fuit. Hae leges per vim latae jussaeque, resistentibus divitibus ex equestri potissimum ordine [3]), probante tamen senatu [4]).

2) *Legem de civitate sociis dandam movit.* Discordant tamen scriptores, alii hic socios, alii Latinos nominantes. Mihi autem veresimile videtur, Drusum forsitan iisdem Comitiis, quibus tulit de lege agraria (Drusi enim leges non jure rogatas esse dicit Cicero [5]), quod pluribus de rebus uno sortitu retulerit) vel certe circa idem tempus,

---

1) Ep. 71, 72.

2) Ceterum ex uno Livio haec omnia manasse tradunt omnes scriptores, solus Obsequens cap. 114 socium ei jungit, dicens: Libius Troso, P. Tarquinius leges ferentes etc., quem locum ita emendandum docuerunt viri docti: Livio Druso P. Tribuno leges ferente etc.

3) Aurel. Victor l. l. Florus 3. 17. App. l. l. 1. 35.

4) Tacit. Annal. 3, 27.

5) Pro Archia 19.

movisse primum legem de civitate Latinis solum danda[1]). Huic nostrae opinioni favet, quod Latini, qui deinde bello exorto pro Romanis stetere (vel quia Fregellarum dirutio eos represserat[2]), vel quia hostes propius habentes in se omnia belli mala potissimum devolvi praevidebant vel quia fidem praebendo tutius civitatem adepturos se sperabant). Feriis Latinis[3]) in monte Albano Julium Caesarem et M. Philippum consules interficiendi consilium ceperant[4]), quippe quod civitatis compotes facti non essent; Drusus enim jam anxius, ut Latinorum postulata differret, qui promissam civitatem flagitabant, repente in publico conciderat, sive morbo comitiali [quo tamen morbo elleboro in Anticyra insula liberatum eum scribit Plinius et inde Gellius[5])] seu hausto caprino sanguine et semianimis domum relatus fuerat[6]). Quod cum per Italiam percrebuisset, vota pro eo suscepta. Boni animi Drusi hoc etiam est testimonium, quod cum in malum Reipubl. vertere posse sua consilia videret, moneret Philippum, inimicum suum acerrimum, caveret sibi[7]). Postremum solum suspicor, quando bene coepta male cedebant et jam vi contra vim agere constituerat, conversum esse Drusi animum ad civitatem Italicis dandam[8]) quos hac re spe libertatis illectos, cum promissis stare non posset, ad arma excitavit.

3) *Tulit judiciariam* (senatum enim quoque et equestrem ordinem conabatur aequis conditionibus inter se conciliare), ut judicia penes senatum et equestrem ordinem essent. Sic Livius[9]). Indicat planius Appianus[10]), ita eum hanc legem tulisse, ut ex equestri ordine treceuti ad

---

1) Aurel. Vict. l. l. Oros. 5. 18. Valer. Max. 3. 1. 2.

2) Ascon in Ciceron. Pison. 39.

3) Quae fuerant ante diem V. Cal. Maji Liv. 25. 12; vid. Manut. ad Cic. Ep. ad Quint. fratrem 2. 4.

4) Hoc primum belli consilium fuisse dicit Florus 3, 18.

5) Plinius 25. 5. Gellius 17. 15. — 6) Aurel. Vict. l. l.

7) Aurel. Vict. l. l. — 8) Vellej. 2. 14,

9) Liv. Ep. l. 72. — 10) App. l. l. 1, 35.

Senatorum numerum adderentur, senatores viritim sibi quemque senatorem equitem legerent atque ex his omnibus in posterum judicum decuriae legerentur. Qua lege magis etiam sibi abalienavit equites; sic enim judicia penes solum senatum erant, non ex aequa parte apud senatum et equestrem ordinem, ita ut Vellejus [1]) recte sensisse videatur, dicens, *judicia ab equitibus ad senatum transferre* cupisse Drusum. Exasperavit denique equites eo quoque, quod adjecit, *ut quaereretur in suspectos de pecunia judiciorum caussa capta* [2]).

§. 4. At cum his conatibus omnes tandem ordines resisterent, Drusum aegrum et imparem rebus temere motis, matura, ut in tali discrimine, mors abstulit [3]), nam cum reverteretur e foro, immensa illa et incondita, quae eum semper comitabatur, cinctus multitudine, in atrio domus suae, cultello percussus, qui adfixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit [4]). Evenere haec, ut ex Cicerone [5]) conjicere licet, mense Novembri, reverso jam Philippo in gratiam cum Senatu [6]); ejus enim rogatu, vivente

1) Vellej. 2. 15. — 2) App. l. l. 1. 35.

3) Florus 3. 17.

4) Vellej. 2. 14. Aurel. Vict. l. l. Liv. Ep. l. 71. Appian l. l. 1. 36. Cf. Plin. 28. 9. Seneca Consolat. ad Marciam 16, de brevitat. vit. 6: Disputatur an ipse sibi manus attulerit, subito enim vulnere per inguen accepto, collapsus est, aliquo dubitante, an mors voluntaria esset, nullo an tempestiva.

5) De oratore 3. 1.

6) Dissenserat vero antea Philippus cum senatu (Cicero de orat. 1. 7). Vir summo ingenio, summa libertate, vehemens et disertus et inprimis fortis ad resistendum (Cicero de offic. 2. 17, Brutus 45, 47, pro Sext. 51, pro Plancio 21) non dubitavit adversus Senatum, dum Druso adhuc favebat, libertatem exercere, qui segnitiem pro Rostris exprobrans, dixerat in concione, *videndum sibi aliud esse consilium, illo senatu se Remp. gerere non posse.* Qua de re ipse Drusus Idib. Septembr retulit ad Senatum. Tantusque consul a poenitentia dicti abfuit, ut etiam L. Crasso, summae dignitatis et eloquentiae viro, id in Curia graviter ferenti, manum injici juberet (de orat. 3, 1 et 2; Valer. Max. 6. 2. 2). Ex his patet errare Angel. Majum, dicentem ad

adhuc Druso, Liviae leges omnes, Apulejae Titiaeque [1]), uno Senatus versiculo, ut Cicero ait [2]), puncto temporis sublatae [3]). Invidia autem caedis apud Philippum et Caepionem fuit [4]). Cicero tamen [5]) percussorem ejus nominat Q. Varium (ab illis fortasse immissum). De ejus morte nec populus consultus, nec quaestio ulla a senatu decreta est [6])

§. 5. Adversabantur igitur Drusi conatibus multae caussae:

1) In legibus ferendis alias leges constitutas laeserat. Contra auspicia enim leges tulisse eum dicit Asconius [7]),

---

Diod. Excerpt. Vatic. 37—40. §. 4, Philippum consulem post graves adversus Drusum inimicitias rediisse cum eo in gratiam. Id vero concludit ex jurejurando, quod Philippo falso attribuit, quodque potius sociis Italicis a Druso propositum conjicio (nihil enim impedit, quominus id credam, ut in scriptore his in libris omnino mutilato), cum jam in eorum auxilio omnes spes suas sitas cerneret. His autem verbis jusjurandum refert Diodorus: *Juro Jovem Capitolinum, et Vestam Romanam et parentem civitatis Martem et auctorem generis Solem, et altricem animalium arborumque Tellurem, praeterea Romae conditores Semideos et propagatores imperii ejus Heroas, me habiturum amicos inimicosque eosdem quos Drusus, et neque facultatibus, neque liberis, neque parentibus, neque ulli omnino animae me parsurum, nisi id Druso profuerit nec non iis, qui in haec eadem verba juraverint. Quodsi civitatem consequar ex Drusi lege, patriam arbitrabor Romam et benefactorem maximum Drusum. Atque hoc jusjurandum cum quamplurimis potero civibus communicabo. Et religiose quidem mihi juranti Bona contingant, pejeranti contraria.*

1) Sext. Titius tribun. pleb. anno 654 tulerat legem agrariam (Cic. de orat. 2. 2).

2) De legib. 2. 6 et 12.

3) Drusus, leges ejus abrogante senatu, ait, se omne habere ferendarum legum potestatem, cumque ipse posset vetare, quominus Senatusconsulta scriberentur, sponte id negligere, quia probe sciret, fore, ut peccantes poenam aequam brevi experirentur. Diod. l. l.

4) Vellej. 2. 14. — 5) De nat. Deor. 3. 33.

6) Pro Milone 7. — 7) Ascon. in Cornel.

trinundinum non observasse Cicero [1]). Porro uno rogatu varia temere congesta tulerat, quod lege Caecilia Didia vetabatur [2]). Denique etiam contra leges in equites quaestiones instituere voluit, quibus hi liberabantur lege Julia in senatores solum lata [3]).

2) Paullo impotentius, injuriis inimicorum incensus, se gessit. Philippo enim consuli, legibus agrariis resistenti, ita collum in comitio obtorsit [4]), ut multus sanguis efflueret e naribus, quem, luxuriam obprobans, muriam de turdis esse dicebat. Caepionem inimicum actionibus suis resistentem ajebat se de saxo Tarpejo praecipitaturum. Verum etiam cum senatus ad eum misisset, ut in Curiam veniret, quare non potius, inquit, ipse in Hostiliam propinquam Rostris? Tribunus senatus imperium despexit, senatus tribuni verbis paruit.

3) Tum senatui, tum equitibus (et his quidem jam inde ab initio), tum plebi, tum etiam Italicis populis, vel certe quibusdam [Etrusci et Umbri nominantur [5])] propter leges de coloniis simul erat invisus. Nam plebs acceptis agris gaudebat, expulsi dolebant, equites in Senatum lecti laetabantur, sed praeteriti querebantur, senatus permissis judiciis exsultabat, sed societatem cum equitibus (quos veresimile erat parum consensuros cum veteribus senatoribus) aegre ferebat [6]). Equites vero potissimum magna injuria affecerat, cum non satis haberet, eos de judiciis removere, immo vero et tentaret eos quaestionibus contra leges constitutas exagitare.

4) Habuit inimicos potentissimos, inter quos nominandi: Papirius Carbo, collega ejus in tribunatu [7]), L.

1) Pro Archia cap. 16. — 2) Pro Archia 19.

3) Cicero pro Rabir. Posth. 7. vid. Clav. Ciceron. Ernesti: *lex Julia*. Cf. Cluent. 55.

4) Sic Aurel. Victor l. l. Florus 3. 17 per viatorem immissum hoc factum narrat; sed dissentit expresse Valer. Max. 9. 5. 2 obtorta gula et quidem non per viatorem sed clientem suum.

5) Appian l. l. 1. 36. — 6) Aurel. Victor l. l. App. l. l. 1. 35.

7) Cf. Tacit Hist. 3. 17. De Carbonibus vide Perizonium Ant.

Marcius Philippus Consul, Q. Servilius Caepio, homo maximae malitiae, qui nihil cedens Druso opibus, animo et dignitate, ut Drusus senatum asseruerat, sic majori studio equitem. In senatum enim impetu facto, reos ambitus Scaurum et Philippum, principes nobilitatis, elegerat [1]).

§. 6. Nihil igitur Drusus consecutus est, nisi ut, in contrarium omnibus cedentibus, majores adhuc inimicitias et discordias excitaret. Irarum vero faces subjiciebat inflammabatque odia ordinum lex perniciosissima his praesertim temporibus et hac reipubl. conditione, quam adversus collegarum intercessionem [2]) perrogavit *Q. Varius, trib. pleb.* Sucronensis [3]), Hybrida propter obscurum jus civitatis cognominatus, homo acutus in rebus inveniendis, nec minus verbis expeditus, fortis vero actor et vehemens et quem plane oratorem dicere auderes [4]), quique hoc tempore unus esset eorum, qui ut Cicero dicit [5]) habitabant in Rostris, ceterum homo vastus atque foedus [6]). Tulit igitur hic exeunte anno 663 [7]), incensus ab equitibus (ut sublatis inimicis majorem adhuc in republica potentiam sibi assererent) senatui infensis [8]): *ut quaereretur in eos, quorum dolo malo sociis spes civitatis injecta esset quorumque opera consiliove socii contra pop. Rom. arma sumsissent* [9]). Equites protinus illustrioribus quibusque ex senatoribus actiones intenderunt. Ex his Bestia et Cotta in exilium abiere, non exspectatis judicum de se suffragiis, Mummius vero

---

Hist. cap. 3. Omnes Carbones non cives fuisse e republica judicat Cicero Ep. ad Divers. 9. 21.

1) Florus 3. 17. Cicero pro Domo 46. Brut. 62. Maxima amicitia antea juncti fuerant Drusus et Caepio, ita ut conjuges etiam permutarent (Dio Cassius l. 110). Inimicitias ex annulo in auctione venali coepisse et inde originem socialis belli et exitia rerum (?) scribit Plinius 33, 1; 38, 6.

2) Valer. Max. 8. 6. 4. — 3) Quintil. 5. 20.

4) Cicero Brutus 62. — 5) Cicero Brutus 89.

6) Cicero de orat. 1. 25.

7) Cicero de orat. 3. 3.

8) Appian. l. l. 1. 37.

9) App. l. l. 1. 37; Aurel. Vict. in M. Scauro.

exilio multatus est [1]), et ipse senex M. Aemilius Scaurus, princeps senatus hac lege a Vario, Caepionis potissimum impulsu [2]) argutus est, egregie vero accusatorem repulit vir, qui suffragia robustissimis et felicissimis eloquentiae stipendiis semper regebat, quique tantum auctoritate potuerat, ut Opimium contra Gracchum, Marium contra Glauciam et Saturninum privato consilio armaret [3]). Recte igitur dixisse videtur Valer. Max. [4]), *Q. Varium hac lege inconsulta magna cum clade Reip. sociale prius, deinde civile bellum excitasse.* Sed dum ante pestiferum trib. pleb. quam certum civem se egisset, ipsius eum lex domesticis laqueis constrictum absumsit anno consequente [5]).

§. 7. Denique et socii jam arma ceperant, *Fregellarum dirutio* initium fecerat jam cruentissimis illis urbium direptionibus agrorumque vastationibus, totius Italiae denique miseriis, quae deinceps secutae sunt. Paullo maturius enim consiliis sociorum erumpentibus, Fregellae colonia Romana, at in agro Latino prope Lirim fluvium sita, anno 629 seditionem moverat, cujus et ipse C. Gracchus conscius esse arguebatur [6]). L. vero Opimius praetor a senatu missus, urbem in deditionem accepit proditione Q. Numitorii Pulli, Fregellanorum principis, diruitque ita ut vix fundamentorum reliquiae manerent. Nihil igitur Fregellanis morum et sermonis societas opitulata est [7]). Hoc facto visus est L. Opimius ceteros quoque nominis Latini socios male animatos repressisse [8]). Asculani etiam hujus

---

1) App. l. l. 1. 37; Cicero de orat. 3. 3; Brut. 89.

2) Ascon. ad orat. Ciceron. Scaurian.

3) Valer. Max. 3. 2. 8, 8. 5. 3; Aurel. Vict. in M. Scauro. Cf. Cic. Brut. 29.

4) Valer. Max. 8. 6. 4.

5) Cicero Brut. 89; Ascon. in Cornel.

6) Plutarch. C. Gracch. cap. 3.

7) Liv. Ep. 60; Strabo l. 5. p. 237; Plin. 3. 5; Cicero ad Herennium 4, 15 et 27; de inventione 2. 34; de finib. 5. 22.

8) Ascon. in Ciceron. Pison. 39.

jam conjurationis conscii fuisse videntur [1]). Opimius vero his rebus gestis inflatus, triumphandi potestatem a senatu petiit. Nec invidia patrum, sed diligentia observandi juris, quo cautum erat ut pro a .cto imperio, non pro recuperatis iis quae jam populi Rom. fuissent, triumphus decerneretur, ei obstitit, ne voti compos fieret [2]). Meminimus jam supra de caede, quam Latini consulibus feriis Latinis intentaverant. Pompaedius denique Silo, vivo adhuc Druso, aperta vi in urbem irrumpere conatus erat, lectis enim decem hominum millibus, singulis gladios sub veste habere jussis, Romam versus contendit, eo consilio, ut hac caterva curiam circumdaret ac civitatis jus omnibus Latinis impetraret, sin secus igni ac ferro urbem vastaret. C. Domitii tamen astutia, qui obviam Pompaedio factus, Senatum — rogatum non bello coactum — Latinis jus civitatis impertire velle, asseveravit, patriam a gravissimo periculo liberavit [3]). — Domestico vero scelere Drusum post Flaccum, Gracchum, qui iidem eorum commoda publice curaverant, tam miserabili mulctatos exitio, optimum suae caussae patronum, oppressum videntes socios eadem fax, quae illum cremavit, in arma accendit et ad apertam defectionem. — Hic iu belli ipsius limine paullo subsistere placet et prius paucis considerare, tum sociorum tum Rom. statum, qualis fuerit initio belli.

CAPUT VIII.

§. 1. Sociis vero omnia optimum belli eventum praedicare videbantur. nam:

1) Pugnabant pro caussa justissima [4]), intolerabilibus

1) Aurel. Vict. in C. Graccho. — 2) Valer. Max. 2. 8. 4.

3) Diod. l. 37. Excerpt. de virt. et vit. p. 612.

4) *Quae enim caussa justior est belli gerendi quam servitutis depulsio? In qua etiam si non sit molestus dominus, tamen est miserrimum, posse, si velit.* Cicero Philipp. 8. 4.

injuriis ad arma provocati; petebant enim eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur, aegreque ferebant, se non in ejus civitatis jus recipi, quae per se in id ipsum pervenisset fastigium, per quod homines ejusdem et gentis et sanguinis ut externos alienosque fastidire posset [1]). Porro servasse eos etiam in morum disciplina severitatem, vitae simplicitatem patrum credendum est, non contra Romanos illos veteres disciplina morum et fortitudine pares hostes sibi videbant, sed peste luxus omniumque vitiorum jam contaminatos; nihil denique cedebant Romanis militiae usu, disciplina et arte belli gerendi, quippe qui per tam longum tempus in exercitibus romanis pugnavissent.

2) Romae omnia flagrabant suspicionibus et odiis mutuis, tum ordinibus tum civibus singulis tum publice tum privatim nihil aliud agitantibus quam discordias, odia, dissidia intestina. Soli equites in civitate dominabantur, in optimum quemque una lege Varia grassabantur, ceteris omnibus legibus per bellum intermissis [2]). Odia vero Marii et Sullae [3]) et bellum civile jamjam erumpens, bellum sociale [4]), quod repente circumstetit urbem, compressit.

---

1) Vellej. 2. 15.

2) Cicero Brutus 88 et 89. Sed postea, cum crebrae defectiones Italicorum nunciarentur, decrevit tandem senatus, ne judicia omnino, dum Italicus tumultus esset, exercerentur (Ascon. in Cornel.).

3) De inimicitiis eorum acerrimis, Bocchi dono, quod civitatem paene inflammavit, praecipue recrudescentibus vid. Plutarch. Marius Cap. 10, 26. Sulla Cap. 3—6. Erat C. Marius humili loco natus, hirtus atque horridus, vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriae, insatiabilis, impotens, semperque inquietus (Vellej. 2. 11. Plin. 33. 11. Liv. 80. Florus 3. 21. Sallust. Jug. 67). Contra Sulla, natus familia nobili, dum quaerebat victorias, Scipionem se populo Romano, dum saevitiam exercebat, Annibalem repraesentavit (Valer Max. 9. 2. Vellej. 2. 17).

4) Hoc vero bellum quantum Sullae adjecit splendoris et opum, tantum Mario detraxit. Nam Marius ad hostes occupandos lentum se segnitie et cunctationis ostendit ubique plenum, vel

Porro etiam inter Romanos fuisse multos credo, non solum qui socios justa petere sentirent exitusque belli infelices praeviderint et praedixerint [1]), immo vero qui et sociorum (quorum multi cum iis consanguinitate, affinitate, seu usu et necessitudine erant juncti) caussae studerent clandestinaque cum iis consilia agitarent. Horum numero fuisse C. Curionem, Curionis adolescentuli patrem ejus, qui bello civili Caesaris fuit partium, innuit Asconius [2]). Denique etiam in castra dissidia transtulere Romani. Nam P. Rupilius Cs. cum viros patricios, quos secum in exercitu habebat, consilia sua hostibus prodere suspicaretur, litteras de iis ad senatum dedit, priusquam de ea re quidquam certius inquisivisset. Quo facto illos alios que, qui ob seditiones urbanas aegris mentibus erant, concitavit ac tumultus fortasse nondum cessisset, nisi detectum fuisset, Marsos quosdam Romanis pabulatoribus mixtos, castra pro sociis ingredi consuevisse et quae ibi agerentur dicerenturve explorata suis renunciare. Ita demum succensere Patriciis Romani desiere [3]). Postremo nec extra Italiam omnia Romanis erant pacata; inhiabat enim Mithridates opulentissimae provinciae Asiae ejusque potissimum impulsu, ut videtur [4]), Thraces Macedoniam et vicinas regiones vastabant. Jam infeliciter contra eos pugnaverat C. Sentius Praetor anno 662 [5]), nec arceri hae incursiones per totum belli tempus non intermissae, a Romanis tam multis curis agitatis poterant [6]). Rebellavere porro anno 664 Salluvii in Gallia Transalpina, sed victi sunt a C. Caeci-

---

quod senio strenuitas illa atque ardor in eo elanguescerat (jam enim annum 65 excesserat), vel quod dictitabat ipse, nervis laborans et inhabilis corpore expeditiones supra vires susciperet pudore; Sulla vero factis multis eximiis nomen comparavit ducis apud cives magni, apud socios maximi et fortissimi apud hostes (Plutarch. Marius cap. 11, 32, 33. Sulla cap. 6).

1) Cicero de Harusp. resp. 9.

2) Ascon. in Cornelian. Ciceron. — 3) Dio Cassius l. 111.

4) Cf. Dio Cassius l. 116. — 5) Liv. Ep. 70.

6) Liv. Ep. 74, 76.

lio [1]). Infestabant maria piratae, contra quos anno 651 M. Antonium cum imperio proconsulari mitti necesse fuerat, qui idem anno subsequenti de iis triumphum habuerat. Metuendum erat denique, ne alterum etiam fundamentum vectigalium, Sicilia, novo motu servorum infestaretur [bellum sociale adeo ad Siculos quoque pertinuisse cognoscere videmur et ex Diodoro [2]) et quod, fractis ubique viribus, Siciliae occupandae consilium socii cepere [3])], neve servorum in Italia etiam et in urbe ipsa seditio oriretur, cum iidem jam saepius rebellassent et Romae jam pluries ad pileum vocati essent et recenter a C. Graccho [4]) et a Saturnino [5]). Sperabant fortasse socii etiam Romanorum quotquot nec praedia, nec agros possiderent, invidia flagrantes, in latrocinia et rapinas conversos, ut in Sicilia factum fuerat [6]), suae caussae fauturos.

3) Melius quam unquam antea in societate jungenda in omnibus sibi providerant. Jam primum non unus aut alter populus defecit, sed defecit omne robur fortissimorum sociorum, bellicosissimi Italiae populi validissimique, universa denique Italia [7]) in idem bellum consentiebat. Nominat Livius [8]): *Picentes, Vestinos, Marsos* [9]), *Pe-*

---

1) Liv. Ep. 73.

2) Diodor. Excerpt. Vat. 37—40. §. 1.

3) Diod. 37. Ecl. 1. de virtut. et vit. p. 538—541.

4) Appian. l. l. 1. 26.

5) Valer. Max. 8. 7. 2. Nam non omnes servi erant tenui loco nati, erant inter eos et ingenui nati in patria, qui bello capti in servitutem redacti erant.

6) Diod. l. 36. Ecl. 1. de virt. et vit. p. 608. Excerpt. Vat. 34—36.

7) Vellej. 2. 15. Oros. 5. 18.

8) Liv. Ep. 72. Cf. Oros. 5. 18. Eutrop. 5. 3.

9) De iis fuit velut in proverbio, neque de Marsis, neque sine Marsis triumphum agi posse. App. 1. 46. Hos autem et vicinas gentes ante alios sumsisse arma ex ipsa belli historia apparebit et indicat Vellej. 2. 15 et Diod. Excerpt. Vat. 37—40. §. 1.

lignos, *Marrucinos*, *Samnites* [1]), *Lucanos*, quibus adjicit Appianus [2]): *Frentanos*, *Hirpinos*, *Pompejanos*, *Venusinos*, *Appulos*, et Diodorus [3]): *Campanos*, *Etruscos et Umbros*, qui tamen non statim ab initio in societatem belli venere. Porro non singuli populi pro ardore et odiorum irarumque furore in Romanos prorupere, nec non junctis viribus, alius post alium, communem caussam suscepere, ceteris jam profligatis et fractis, quibus integris et valentibus adjungere se debuissent, antequam hostes ex ipsa victoria novas vires animosque adipiscerentur, qua re fere semper successu caruerant societates eorum in Romanos initae [4]), sed omnes communi consensu arma sumsere et jam ab initio communia consilia agitabant (dolor enim injuriae acceptae erat communis, justissimi belli aviditas omnes omnium ardores inflammaverat, quisque sibi se pugnare, non domino, pro se pericula adire, vulnera et mortem excipere sensit). Per occultas legationes foedus iniere et foedera datis ultro citroque obsidibus confirmabant [5]). Deinde ne consiliorum et deliberationum lentitudo, discordiae, utilitatum privatarum aut singularum civitatium respectus, consilia remissa, decreta praepostera alieno loco ac tempore acta rebus gerendis moras injicerent exitiosas, sed ut res justo tempore et ordine administrarentur et concordibus consiliis, certa quoque agerentur de belli ratione consilia ex

---

1) Ipsi hi populi exigui sunt, sed qui fortitudinem suam Romanis saepe demonstraverant. Strabo l. 5. p. 241. Legem quoque apud Samnites esse ajunt praeclaram et ad virtutem stimulos addentem; non enim licet, filias quibus ipse velint, elocare, sed quotannis virgines decem totidemque juvenum praestantissimi deliguntur, quorum primo prima eodemque dignitatis ordine reliquae conjunguntur, quod si quis honore hoc affectus, a virtute desciscat, ignominia notato uxor adimitur. Strabo 5. p. 250.

2) App. l. l. 1. 39.

3) Diod. 37. Ecl. 1. de virtut. et vit. p. 538—541.

4) Cf. Liv. 6. 2; 8. 29; 10. 27; 9. 29; 32. 35.

5) App. l. l. 1. 39.

ex paucorum peritissimorum nutu, nihil antiquius ducebant, quam ad antiquum Roman. imperii ordinem conformare suum et iisdem cum Romanis certare armis, quibus hi tam saepe contra se maximo semper cum successu usi fuerant, quaeque cos in tantum fastigium provexerant. *Corfinium*, urbem Pelignorum primariam, claritate et magnitudine excellentem, communem omnibus Italis loco Romae designaverunt, Italicumque appellarunt [1]). In qua tum alia, quae magnam urbem et imperium firmant, tum forum amplissimum et curiam exstruxerunt, largamque ad omnes belli usus copiam cum pecuniarum vi et commeatu illic repositam habebant. Senatum praeterea 500 virorum constituerunt, unde qui summis patriae magistratibus digni essent ac de communi omnium salute consultandi facultatem haberent, eligerentur. His ergo belli administrationem commendant, summamque adeo potestatem rerum omnium permittunt. Ab his sancita lex fuit, ut duo quotannis Consules et duodecim imperatores crearentur, qui communibus copiis cum summo imperio praeessent. Consules facti erant *Q. Pompaedius Silo*, natione Marsus, vir in gente sua primarius et *C. Aponius Motulus*, ex gente Samnitum, et ipse gloria rebusque gestis popularibus suis antecellens [2]). Habebant vero socii praeter copias, quae singulis civitatibus praesidio erant, communem exercitum peditum equitumque centenorum fere millium et augeri semper eorum copias necesse erat, quoniam et servos ad pileum vocatos et captivos suis legionibus immiscuerunt [3]). Pleraque haec acta, antequam cognita sunt in urbe, judiciis seditionibusque intenta [4]). Tandem re intellecta, senatus certos homines, qui cum quaque civitate maxime conjuncti essent, circummisit, ut veluti aliud agendo explorarent, quae gererentur. Ex his unus conspicatus adolescentem Asculanum pro obside in aliam urbem ductum, indicavit Servilio Procon-

1) Vellej. 2. 16. Florus 3. 18. Strabo l. 5. p. 241. Diod. l. l.
2) Diod. l. l.
3) Appian. l. l. 1. 39.
4) Appian. l. l. 1. 38.

suli [1]) agenti in iis regionibus. Servilius propere oppidum ingressus, cum Asculanos solenne patrium tunc celebrantes, quasi mancipia, non liberos ac socios allocutus, cum omni contumeliae genere iis insultaret, minasque ac terrores incuteret, socios ad suam ac ceterorum pestem et perniciem concitavit. Asculani enim, quod proditam jam defectionem intelligerent, Servilium simulque legatum ejus Fontejum occiderunt, deinde, statim clausa civitate, omnes cives Romanos, qui in eo oppido erant, indicta caussa jugulaverunt [2]). Itaque aperta jam defectione, diversa per populos et urbes signa belli cecinere, duce et auctore belli discursante Pompaedio [3]). Miserunt tamen nihilominus socii Romam legatos conquestum, quod quorum insigni opera atque auxilio Romanis partum esset imperium, eos ne ad jus quidem civitatis admitterent. Superbum responsum retulere ab *Senatu, regum, populorum, nationum portu et refugio* [4]): *si resipuissent ab inceptis, legatos mittere posse, sin minus supersederent* [5]). Quod responsum etsi crudele dixeris, tamen nec ipsis moderatioribus facile erat dicere, quod in hoc maximo discrimine optimum esset consilium. Nam si sociis, quod petebant, concessum esset, tanta hominum omnis generis colluvione in civitatem recepta, magis adhuc, quam tunc, factionibus et seditionibus suffragia turbata iri, et rempubl. ad interitum properaturam praevidebant. Persistendum igitur esse in via, qua ad hoc tempus iverant, censuere Romani, vique coercere rebellantes, cujus consilii exitus infelices quisque non minus facile praevidere poterat.

§. 2. Contra Romani, nec ipsi, cum Italici saepius

---

1) In dissensu scriptorum non facile est definire proconsul an praetor fuerit, nec definierunt interpretes ad Vellej. 2. 15 et Vales. ad Diodor. l. l.

2) Diodor. 37 de virt. et vit. p. 612. Appian. l. l. 1. 38. Florus 3. 18. Vellej. 2. 15. Oros. 5. 18. Liv. 72. Freculph. Chronic. pars 2. lib. 6. 12. Cicero pro Fontejo 14.

3) App. l. l. 1. 38. Florus 3. 18. Strabo l. l.

4) Cicero de offic. 2. 8. — 5) App. l. l. 1. 39.

pro Romano imperio splendide dimicassent, tunc de suo periclitantes, priores victorias fortibus gestis superarent, dum contra sibi nuper subditos dimicarent, videri nolebant minoribus suis minores et hoc quoque in bello ut non facile alias virtutis ejus, qua imperium terrarum adepti erant, constantiae et perseverantiae dico, exempla clarissima edidere. Nec minus tamen habebant, quod fortunae acceptum referrent, nam

1) Ipsa belli ratio pro iis erat. Quodsi enim socii ab initio statim interitui Romanorum studuissent, dubitari non potest, quin efficere potuissent, ut urbs, a qua tot mala sibi illata meminerant, ipsis cineribus oppressa sepultaque nullo modo revivisceret [1]). Sed ut tum res erant, hostilis urbis ipsius salus erat conditio, sine qua, quae volebant, assequi non poterant. Contra Romani, ut semper, rebellantes internecione delere pro justo aequoque habebant.

2) Porro praeter Latinos, quos hoc bello pro Romanis contra Italicos stetisse inter omnes scriptores constat, excepto Floro [2]) (cujus auctoritas hic opponi nequit, cum idem etiam Etruscos et Umbros inter defectores nominet, quos tamen, quamvis dubia fide, initio belli a Romanorum partibus stetisse constat), et inter rebellantes populos fides invenit pop. Rom. Meminit Vellejus [3]) Minatii Magii, atavi sui, Asculanensis, qui nepos Decii Magii, Campanorum principis, celeberrimi et fidelissimi viri, legione in Hirpinis conscripta, exercitui Romano se junxit, praeclaramque hoc bello operam et fidem praestitit. Mentio etiam facienda est de Pinnensibus (Vestinis), qui ob constantem erga pop. Rom. fidem in maxima calamitate delapsi sunt, cumque nullo modo decedere de societate Romana vellent, omni sensu atque affectu spoliati, cogebantur filiorum mortem oculis suis spectare [4]). Coloniae etiam magno impedimento so-

1) Samnites tamen et Lucanos, ut ex ipsius belli historia apparet, hunc belli finem quaesiisse videntur.

2) Florus 3. 18. — 3) Vellej. 2. 16.

4) Dio Cassius 113. Diod. 37 de virt. et vit. p. 612. Cum Italici liberos omnes ante urbis moenia stitissent seque hos jugu-

ciis fuere. Deinde, etsi magna parte vectigalium amissa, populatis, vexatis et funditus eversis provinciis et perditis exteris nationibus, habebant tamen in aerario Romani auri sedecies centena viginti millia et 829 pondo [1]), habebant porro, ut M. Catonis verbis utar, cellam penariam reip., nutricem plebis romanae, Siciliam, insulam Cereri et Liberae consecratam [2]), quae hoc bello maximo difficillimoque non solum pro penaria cella, sed pro aerario illo majorum vetere ac referto iis fuit; nam sine ullo sumtu Romanorum coria, tunicas, frumentumque suppeditavit, maximos exercitus vestivit, aluit, armavit [3]). Habebant denique Romani, quamvis non semper totam Campaniam, certamen humanae voluptatis [4]), quae tamen et hoc bello, amissis ceteris vectigalibus, maximos exercitus Rom. aluit [5]), urbem saltem Capuam, quae opportunissimam se praebuit Romanis et ad bellum instruendum et ad exercitus ornandos et tectis et sedibus suis recipiendos [6]).

3) Denique, quanquam undique malis circumstantibus, de imperio sibi certandum videntes, et ipsi Romani, sago, moeroris veste sumto [7]), numero parem sociorum exercitui emisere exercitum, tam ex urbanis copiis, quam ex auxiliis Latini nominis exterarumque gentium [8]). Et Romanis quidem copiis praeerant: *Lucius Julius Caesar* [9]) et *P. Rutilius Lupus*, consules. Ambobus enim tam gravis belli et in ipsa Italia grassantis imperium decretum est et

---

laturos minitarentur, nisi a Romanis defectio fieret, adversus mala animum obdurantes, responderunt, facile ab se alios creatum iri, servata Romanis fide. (Excerpt. Vatic. Diod. 37 — 40. §. 9). Capta tamen urbs a sociis, eadem constantia in adversis se gessit in Romanos obsidentes (vid. quae de hac obsidione refert Valer. Max. 5. 4. 7).

1) Plin. 33. 17. — 2) Cicero in Verrem 4. 48.

3) Cicero in Verrem 2. 2. — 4) Plin. 3. 9.

5) Cicero de leg. agrar. 2. 29.

6) Cicero de leg. agrar. 2. 33. — 7) Liv. 72.

8) Liv. 72. Appian. l. l. 1. 39. Cf. Memnon ap. Phot. Cod. 224. p. 727. Diodor. Excerpt. Vat. 37 — 40. §. 7.

9) Sextus Julius Caesar falso ab Appiano nominatur. Vide Schweigh. ad App. T. 3. p. 695.

alii tanquam in domestico et urbi proximo periculo moenia et portas praesidiis tenebant. Quum autem varium fore bellum et multiplex appareret, legati Consulibus additi sunt viri ejus temporis spectatissimi, non litteris ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditi, *Rutilio: Cn. Pompejus*, Magni pater, *Q. Caepio*, *C. Perperna*, *C. Marius*, *Valerius Messala; Julio Caesari: P. Lentulus*, ipsius Caesaris frater (uterinus ut videtur), *T. Didius*, *Licinius Crassus*, *Cornelius Sulla* anno ante praetura functus [1]), *M. Marcellus*. Subinde tamen his ipsis ducibus alii quoque velut in magno discrimine ex urbe submittebantur [2]).

CAPUT IX.

§. 1. Sic omnibus undique paratis, bellum inceptum, in quo utrimque cum multa fortiter gesta, tum magnae acceptae clades sunt, modo huc modo illuc victoria inclinante, neutrisque stabilem atque firmam se praebente. Initio tamen sociorum res superior fuit.

§. 2. Senatus inscius seditionem per totam Italiam manasse, Senatuscons. jubet Cn. Pompejum praetorem, virum et ferocem animo et praepotentem [3]), bellum gerere cum Picentibus et oppidum, quod quasi fax belli fuerat, opprimere. Hic vero Asculum, urbem cum natura munitissimam, tum muro cinctam et montibus, qui conscendi a nullo possunt exercitu [4]), aggressus, et incaute muros subiens, subita Asculanorum (qui ut securos Romanos fa-

1) Vellej. 2. 15.

2) Appian. l. l. 1. 40. Cicero pro Fontejo 15. Maximis etiam laudibus effertur Q. Scaevola a Cicerone (Phil. 8. 10) dicente: Ego Q. Scaevolam augurem memoria teneo, bello Marsico, cum esset summa senectute et perdita valetudine, quotidie, simulatque luceret, fecisse omnibus conveniendi sui potestatem, neque eum quisquam illo bello vidit in lecto, senexque et debilis primus veniebat in Curiam.

3) Valer. Max. 9. 14. 2. — 4) Strabo l. 5. p. 241.

cerent, paucos senes aegros in muris ostenderant) eruptione victus et fugatus est [1]).

§. 3. Ad arma convolantibus deinde omnibus Apennini populis, missus esse videtur consul Caesar ut per regiones montanas penetraret rebellantesque deleret, sed apud Aeserniam victus [2]) in fugam conjectus est a Vettio Catone, Marsorum duce, qui caesis duobus millibus, adversus Aeserniam, coloniam romanam, duxit, quae tum in fide Rom. populi perstabat. Aesernini autem, deliberatione habita, servos, dum fame premerentur, urbe ejecerunt. Nihil enim non cogebat propria necessitas, nempe ut alieno exitio salutem suam quaererent. Servi autem dira atque immani calamitate pressi, translatis sedibus, dominorum crudelitatem clementia hostium emendaverunt [3]). L. etiam Scipio et L. Acilius, qui eam civitatem ordinaverant, servorum habitu inde elapsi sunt. Tandem et Aesernini dupluci fossa valloque circumdati, fameque ita pressi ut etiam canibus ceterisque ejusmodi bestiis vescerentur, se dedidere hostium duci [4]), qui inde ad Albam coloniam, Marsis finitimam et scopulo insitam sublimi [5]) obsidendam processit [6]). — Eodem tempore Marius Egnatius, Campaniam aggressus, Venafrum per proditionem cepit et duas ibi Romanas cohortes concidit [7]).

---

1) Oros. 5. 18. Frontin. 3. 17. 8. — 2) Oros. 5. 18.

3) Excerpt. Vatic. Diodor. l. 37—40. §. 8.

4) Sisenna ap. Nonium in voce *adesum*. Diod. Excerpt. Vat. l. 37—40. §. 8. Liv. 72. Appian. l. l. 1. 41. Maximae per hoc bellum inopiae testis est Diod. Excerpt. Vat. 37—40. §. 10: Romani cum Italicis de frugum collectione digladiabantur, et nunc adgrediendo, nunc resistendo a mutuis caedibus non cessabant. Nimirum manu tenentes demessas spicas cruentam pugnam pro necessario victu gerebant, nemoque exspectabat ducis adhortationem, verum ipsa natura, dum egestatis angustias menti objicit, audaciam exacerbat. Unusquisque dum penuria se mori metuit, ferro potius vitam amittere alacriter tolerabat.

5) Strabo l. 5. p. 240. — 6) Liv. Ep. 72.

7) App. l. l. 1. 41.

§. 4. Tum demum credo Romanos consilia sociorum perspexisse, qui totam Italiam in duas partes diviserant easque provincias Consulibus designarant, ita ut *Q. Pompaedio regionem a Cercolis, quae vocantur, usque ad mare Adriaticum quippe qui tractus ad ortum et septemtrionem vergant,* cum sex ducibus (quorum nominantur *P. Presentejus*, *Vettius Cato*, *Herius vel Hierius Asinius*, Marrucinorum dux) et, *quod reliquum esset Italiae ad meridiem versus et occasum* [1]), *C. Papio* vel *C. Aponio Mutilo* [2]) adjunctis totidem copiarum praefectis (quorum nominantur *Marius Egnatius*, qui idem fuisse videtur ac Trebatius [3]), *Tit. Lafrenius* [Afranius], *M. Lamponius Lucanus*, *C. Pontilius* vel *Ventidius*, *C. Judacilius*), tribuerent. Igitur et ipsi Romani alterum Consulem *Rutilium Pompaedio* in

1) Sic Diodori locum l. 37. Ecl. 1. p. 538—541 emendandum esse credo. Pompaedium enim consulem in regionibus montanis agentem videmus, C. Papium vero Motulum cum Samnitibus et Lucanis in Lucania et Campania. Credo igitur Pompaedio regiones ad ortum versus ab Apennino usque ad Samnitum terram evenisse, C. Papio vero Samnium, Apuliam et Lucaniam et ambo studuisse ut ille, Alba capta, in Latium proruperet (quod effecit per Catonem praetorem), et hic Campaniam occuparet. Emisit vero C. Papius Marium Egnatium praetorem in Campaniam superiorem, ipse ex Samnio et Apulia Campaniam inferiorem invasit. Sic undique Romani premebantur et si Etrusci et Umbri sociis se adjunxissent, omnino cincti fuissent. Ex his apparebit, Cercolas non, ut vult Ab. Ortelius, circa Galliam togatam, quippe quae regiones nihil ad hoc bellum pertineant, sed in Frentanorum Appulorumque potius finibus esse quaerendas.

2) Memoratur etiam dux Marsorum Agamemnon (Oros. 5. 18) vel Agennon (Diod. l. 37. de virt. et vit. p. 612 sq.), Cilix, archipirata, qui ob maleficia comprehensus atque in custodiam in urbe Asenlo traditus a Romanis, a Picentibus liberatus, in gratiam accepti beneficii strenue pro partibus militabat.

De varietate, quae est apud auctores in ducum nominibus referendis, adeas Freinshem. ad Flor. 3. 18, qui nominat etiam alios sociorum duces, ut Guttam Capuanum, Duellium etc., qui nulla re memorabili de iis relata, passim apud scriptores occurrunt.

3) Vid. Schweigh. ad App. T. III. p. 697.

Marsis agenti opposuere, alteri *Caesari* negotium dant, ut pulcherrimum illud fundum, caput pecuniae, pacis ornamentum, subsidium belli, fundamentum vectigalium, horreum legionum, solatium annonae, Campaniam, ab hostibus arceret et in Samnium et Lucaniam penetraret.

§. 5. P. vero Presentejus Perpennam cum decem millibus sibi occurrentem (apud Fucinum lacum ut videtur) fugavit, caesisque ad IV millia, reliquorum armis majori ex parte potitus est. Quamobrem Rutilius consul, ademto Perpennae imperio, reliquias ejus exercitus C. Mario attribuit [1]).

§. 6. Ex altera parte M. Lamponius Licinium Crassum adgressus, qui a Caesare consule in Lucaniam missus fuerat, omniaque caedibus, ferro et igni vastabat, in singulari certamine, ad quod, existimans oportere non multitudinem pro ducibus, sed pro multitudine duces dimicare, cum eo procurrerat, servatum prostravit, castris, quae prope virgultas silvasque posita erant, incensis, ipso Licinio Crasso cum exercitus parte igne consumto. Octingenti milites ex Romano exercitu periere, reliqui in Grumentum oppidum compulsi sunt [2]). — Tum C. Papius Motulus consul cum Samnitibus et Lucanis in Campaniae planitiem descendit, ubi Julius Caesar consul agebat. Hoc fugato caesoque exercitu, Nolam coloniam per proditionem occupat, Romanorum duobus millibus, qui ibi in praesidio erant, per caduceatorem ad se transeundi potestate oblata. Duces, qui deditionem abnuerant, cum L. Posthumio praetore comprehensos, victor inedia necavit [3]). Idem Papius etiam Stabias cepit et Liternum [4]) Salernumque, Romanam coloniam, captivosque ex his oppidis factos una cum servis militum suo-

---

1) App. l. l. 1. 41.

2) Diodor. Excerpt. Vat. 37—40. §. 10. Flor. 3. 18. App. l. l. 1. 41. Frontin. 4. 7. 41; 2. 4. 16. Urbs Grumentum postea a sociis captum est; vide insigne duorum servorum ad servandam heram commentum apud Senecam de benefic. 3. 23.

3) Liv. 73. App. l. l. 1. 42. Oros. 5. 18.

4) Vid. Schweigh. ad App. III. p. 698.

rum numero adscripsit. Hinc postquam et omnem circum Nuceriam pervastavit agrum, finitima oppida compluresque populi [Pompejani et Piceutini nominantur [1])], similis calamitatis metu ad eum desciverunt et petenti auxilium miserunt decem peditum millia, equites mille, quibus auctus Acerras obsedit. Tum Consul Caesar, contractis undique copiis, adsumtisque Gallorum peditum decem millibus et Mauretanis Numidisque equitibus peditibusque castra cum eo prope Acerras contulit. Papius vero Oxyntam, Jugurthae filium, e Venusina, in qua tum adservabatur, custodia eductum ornatumque purpura ostentabat ejus popularibus sub Caesare militantibus. Cumque crebra eorum ut ad proprium regem fierent transfugia, consul ceteros, ut suspectos, remisit in Africam. Post haec cum Papius temere ausus esset oppugnare castra consulis, jamque partem valli convelleret, Caesar, emisso per aversam portam equitatu, circiter sex millia hostium interfecit exercitumque post eam victoriam ab Acerris abduxit. Cum ob hoc factum ab exercitu imperator appellatus esset Caesar, Romamque nuntios de victoria misisset, senatus sagum, hac quamvis dubia spe, arridente, deposuit, atque antiquum decorem togae recuperavit [2]). — Ad Judacilium interea in Apulia, cum omnibus fere locis sociorum rem superiorem viderent, Canusini una cum Venusinis multaeque aliae civitates defecerunt. Nonnullas vero abnuentes imperata facere vi socii expugnarunt, deprehensosque in his Romanos nobiliores necarunt, plebejos vero et servos militibus suis immiscuerunt [3]).

§. 7. Nec minus prospere ex altera parte bellum gesserunt socii; repulerant enim Cn. Pompejum ex Piceno penetraverantque in Sabinorum terram Umbriamque et omnia caedibus, ferro et igni vastantes, acerrime pugnabant circa Ocriculum, Carseolos, Reate [4]). Vettius vero Cato, Alba

---

1) Diodor. l. 37. Ecl. 1. p. 538—541. Appian. l. l. 1. 39 ubi dicit hos serius arma corripuisse.

2) Oros. 5. 18. Liv. 73. App. l. l. 1. 42.

3) App. l. l. 1. 42. — 4) Flor. 3. 18.

ut videtur, non capta, ad alteram Fucini laci partem conversus, usque ad Lirim fluvium jam progressus erat. Hic tamen Rutilius consul cum legato C. Mario se illi opposuere prope fluvium *Fibrenum* [1]), in altera ripa castra habentes. Hi copiis nimirum praevalentes (Perpennae exercitu C. Mario tradito), duos non longe inter se distantes pontes super Fibreuum construxerant ad trajiciendas copias, adversus quos propius pontem Maril, castra metatus erat Vettius Cato. Rutilius vero assidue submonentem Marium moram bello utilem fore et paulisper in castris exerceri militem oportere tironem, dolo id eum agere ratus [2]) contempsit, seseque in insidias Marsorum et universum agmen exercitus sui incautus injecit [3]). Nam Vettius Cato, dispositis noctu circa Rutilii pontem in valle quadam insidiis, primo mane trajicere eum passus est, sed mox inde aggressus, interfecit multos in sicco, multos in fluvium egit praecipites. Multi nobiles interfecti et octo millia Romanorum militum caesa sunt. Et ipse Rutilius in ea pugna sauciatus capite, paullo post ex vulnere mortuus est. Arma et corpora interfectorum in conspectum Marii legati, qui ad alterum pontem haerebat. fluvius pertulit atque in testimonium cladis evexit. Hic itaque, raptis continuo copiis, propulsis qui sese opponebant, trajecit flumen, victores insperatus oppressit, octo millia eorum interfecit castraque a paucis custodita expugnavit. Quo factum est, ut Cato per-

1) Sic conjicio, nam *Telonii* fluminis (quem hic intelligi vult Freinshem. Supplem. Liv. 73. 29), per Marsos fluentis, apud Reatinos Velino fluvio se conjungentis, hic locus non est, cum App. l. l. 1. 43 aperte dicat prope Lirim hanc pugnam pugnatam fuisse.

2) C. Marius, cum Rutilium Lupum, quamvis propinquum suum suspectum haberet, ejusque invideret gloriae, simul sperans se quasi solum bello finiendo idoneum, septimus consul creatum iri, bellum trahere eundem jussit, Romanis enim annonam haud defuturam, hostes vero, quorum in finibus bellum gereretur, resistendi amplius non habituros facultatem. Dio Cass. l. 112.

3) Haec pugna pugnata est III idus Junias festo Matutae Ovid. Fast. 562—565.

pernoctarit eo loco ubi vicerat, sed penuria commeatus coactus mane inde discederet [1]). Cum autem Rutilius consul cruentus in urbem referretur, miserabili funere mediam etiam urbem perviam fecit [2]) et aliorum nobilium non paucorum cadaveribus in urbem ad sepulturam delatis, tristis visa est populo ea pompa consulis totque aliorum defunctorum, et complurium dierum luctus excitatus est. Quapropter factum est Senatuscons., ut posthac defunctorum in bello corpora ibi humarentur, ubicunque cecidissent, ne ob eorum conspectum reliqui deterrerentur a militia. Illud decretum mox hostes ubi cognoverant, imitati sunt [3]). In reliquum anni nemo suffectus est Rutilio, quod Caesari non vacabat in urbem reverti ad comitia. Exercitum ejus senatus commisit C. Mario [4]).

Hac victoria elati Romani per montana penetrasse videntur, Aesernia rursus capta, fundente etiam Pelignos Servio Sulpicio Galba. Sed omnia in pejus mutata Caepionis temeritate, qui cum obsessus prospere in hostes erupisset, aequato ob hunc successum cum C. Mario imperio, inde temerarius factus a Vestinis et Marsis deductus est in insidias et fuso exercitu cecidit [5]). Nam Q. Pompaedius, dux hostium, ad eum transfugere se simulans, adduxit pro filiis obsidibus duos servos pueros, more ingenuorum praetextatos et quo magis fidem impetraret, massas quoque plumbi attulit auro et argento obductas: simulque hortatus est, ut se duce confestim adgrederetur hostilem exercitum, qui nullo regeretur imperio. Et Caepio deceptus sequebatur hominem; ut vero ad locum ventum est insidiis praeparatum, Pompaedius in tumulum quondam procurrit, quasi circumspecturus, ubinam hostes essent et ibi signum dat suis. Reliquum victi exercitus Senatus ad Marii copias adjunxit [6]).

1) App. l. l. 1. 43. Oros. l. l. Eutrop. 5. 3. Liv. 73.

2) Florus 3. 18. falso haec de Julio Caesare refert.

3) App. l. l. — 4) App. l. l. 1. 44.

5) Liv. 73. Oros. l. l. Flor. l. l. Eutrop. l. l.

6) App. l. l. 1. 44.

§. 8. In Campania, circa quam acerrimus semper Mars erat, per idem tempus Caesar consul, intra Vulturnum et Lirim rejectus, peditum 30 millia, equitum quinque, per fauces quasdam et praerupta loca ducens ex improviso irruente Mario Egnatio, in fauces repulsus est: unde cum, lectica propter morbum delatus, ad fluvium quendam unico ponte pervium se recepisset, majori parte exercitus prope fluvium amissa, reliquis passim arma projicientibus, aegre se Teanum (Sidicinum) recepit. Ibi armatis, quos reliquos habuit acceptoque propere idoneo supplemento, ad Acerras, quae a Papio obsessae adhuc tenebantur, transiit. Sed ibi castris collatis neuter alterum ausus est pugna lacessere [1]). — Aesernia interim cum M. Marcello denuo in potestatem hostium, a Samnitibus capta, venit [2]).

§. 9. C. Marius Marsos egregie repulit, usque ad sepes vinetorum persecutus; quas cum hostis aegre quidem transcenderet, Romanis non visum est eos insequi amplius. Cornelius vero Sulla [3]), qui ab altera vinetorum parte castra habebat, re intellecta, fugientibus occurrens, et ipse multos interfecit, ut eo die ex Marsis supra sex millia perirent cum praetore Marruciuorum Herio Asinio armaque septem millium in potestatem venirent victorum [4]). — Sulla cum 24 cohortibus Aeserniam missus, quam denuo a Romanis occupatam fuisse veresimile est, ubi arctissima obsidione Rom. cives et milites premebantur, maximo bello et plurima caede hostium urbem sociosque servavit. His cladibus magis etiam efferati sunt hostium animi, reparatisque viribus ultro rursus lacessiverunt Romanos (sub Mario bellum trahente), metu cessantes, neque pugnam committere ausos [5]). Tamen Marius in fine jam hujus anni du-

1) App. l. l. 1. 45.

2) Liv. l. l.

3) Non officere debet diversorum hic exercituum duces occurrere, repulsis enim Romanis a Campania, omnes exercitus in Latio fere et Campania superiore coarctati erant.

4) Liv. 73. Oros. 5. 18. App. l. l. 1. 46. Plutarch. Marius 33.

5) App. l. l. 1. 46. Huc pertinet quod Plutarch. refert l. l.

bio eventu cum Marsis denuo pugnavit [1]). — Cn. Pompejus gravi proelio fudit Picentes, ab Umbria repulsos et ad Asculi obsidionem progressus est. Ob hanc victoriam Romae praetextae et cetera magistratuum insignia resumta sunt [2]).

§. 10. Sic in hac belli parte, hostibus ex planitie ejectis et in montes suos compulsis, C. Mario etiam in Samniticum agrum progresso, superiores facti Romani, ut etiam ex altera parte felicius bellum gereretur, Cn. Pompejum praetorem ab Asculi Piceni obsidione avocarunt (alii duci forsitan hoc negotium datum) et cum Servio Sulpicio Galba in Campaniam miserunt, ubi Caesar Cs. valetudine laborans, raro feliciter pugnaverat. Circa Falernum vero montem Judacilius, Lafrenius et P. Ventidius, conjunctis copiis exercitum Cn. Pompeji fusum fugatumque intra Firmum [3]) oppidum compellunt. Ad cujus obsidionem Lafrenio relicto, ceteri duo in diversum abeunt. Pompejus, his, qui cladi supererant, armatis denuo, a pugnando quidem abstinuit, adventante autem alio exercitu, Sulpicium per devia missum, jussit Lafrenii terga invadere, ipse a fronte eundem adortus est. Cumque dubio Marte certaretur, Sulpicius incendit castra hostium, quo viso hostes Asculum [*Appulum* [4])] incondita fuga, quum Lafrenius in ipsa pugna

---

33: Eidem tempori fortasse etiam est adscribendum, quod Diod. refert Excerpt. Vat. 37—40. §. 6.

1) Post hoc proelium Marius quasi languescens, corporis imbecillitate deposuisse imperium videtur. Plutarch. l. l. 33.

2) Liv. 74. Oros. 5. 18.

3) Hoc oppidum cum J. Christoph. Amadutio oppidum Campaniae circa Falernum montem conjicio, vid. Schweigh. ad App. III. p. 700.

4) Haec jam in fine anni gesta videntur. Ut autem hic Pompejum contra Freinshem. et Schweigh. ad App. III, 700 et alios, in Apulia fuisse Asculumque Appulum obsedisse credam, his nitor argumentis:

1. Judacilius ab ipso Appiano l. l. 1. 42 et ab aliis Appulorum semper dux perhibetur.

cecidisset, sine imperio fugiunt. Hinc Pompejus oppugnare Asculum instituit [1]).

§. 11. Dum haec ad mare Superum geruntur, diversa parte Etrusci et Umbri, una cum aliis quibusdam finitimis populis ad defectionem spectabant, invitati successu partium. Quo novo metu accedente, senatus, ne circumquaque ab hostibus cingeretur, sollicitus, littoribus, quae Cumas inter et urbem patent, imposuit praesidia, quae ex libertis lecta sunt, tum primum in militiam admissis ob virorum inopiam [2]). Porro lata est, auctore L. Julio Caesare Cs., *lex Julia de civitate*, cujus haec erat summa, *ut Italici*

---

2. Appian. l. l. 1. 48. eodem loco, ubi meminit de Asculi a Pompejo (qui inde disceasisse videtur, ut Romae consulatum peteret) obsidione, dicit etiam Caesarem, cum jam proconsul esset i. e. anno sequenti, in Asculi obsidione morbo absumptum esse, quod hic Asculum Appulum esse nemo non videt, semper enim Caesar in his regionibus bellum administraverat. Quodsi Appianus priori loco *Asculum Picenum* intelligi voluisset, non video, quare adjecisset Caesarem *anno sequenti circa Asculum Appulum* fuisse. Agit igitur hic summatim de iis, quae ad hanc urbem pertinent.

3. Solum quod meae opinioni obstare videtur est quod Oros. 5. 18 memorat: Asculum oppidum, Css. jam Pompejo et Catone, diu obsessum fuisse, Franco (quem eundem esse vult Havercamp. ad Oros. p. 337 ac Lafrenium), Marsorum imperatore cum 18,000 hostium occiso. Addit deinde Judacilium, hostium ducem, Asculanum cum octo cohortibus patriae succurrere voluisse, sed cum Asculani eruptionem, quam facere eos monuerat, non fecissent, per medios hostes intra moenia penetrasse, sequentibus quotquot poterant, deinde exprobrata civibus timiditate atque inobedientia, trucidatis inimicis, qui invidia ejus aspernandi mandati civibus auctores fuerant, desperata salute civitatis (dum Pompejus nimirum oppidum premeret), venenum hausisse. Eadem refert Appianus l. l. ad annum superiorem. Facile tamen haec expediri possunt, Francus non idem est ac Lafrenius, et Orosius, ut presbyter Hispanicus, chronologico simul et geographico errore Judacilii mortem ad annum sequentem et ad urbem Piceni cognominem refert.

1) Appian. l. l. 1. 47 et 48. — 2) App. l. l. 1. 49. Liv. 74.

quotquot adhuc in fide permansissent, cives Romani fierent [1]). Hac lege universo Latio civitas data est, teste Gellio [2]); Appianus [3]) dimissam circa rebellantes populos, avidissime ab Umbris et Etruscis exceptam esse scribit. Hanc autem legem non tam ad totam utramque gentem, quam ad nonnullos utriusque gentis populos pertinuisse colligere possumus tum ex Nonio [4]), tum ex Livii et Orosii verbis [5]): *A. Plotius legatus Umbros, L. Porcius Cato praetor Etruscos, cum uterque populus defecisset, plurimo sanguinis impenso, difficillimo labore vicerunt.*

CAPUT X.

Anno 665 a. u. Cn. Pompejo Strabone, L. Porcio Catone Css.

§. 1. Bellum vero hucusque gesserant Socii partem maximam snperiores fere, hoc tamen anno Cn. Pompejus Consul factus ac snmmus belli ductor, Sullaque flnentem procumbentemque rempnbl. pop. Rom. restituerunt. Ambo consnles cum Sulpicio, L. Murena, Q. Caecilio Metello missi sunt, ut per Apennini montanas regiones penetra-

---

1) Nempe si fundi facti essent. Nam Heracliensium et Neapolitanorum multos et alios hoc beneficium repudiasse, auctor est Cicero pro Balbo 8.

2) Gellius 4. 4. — 3) App. l. l.

4) Vid. voc.: *jusso, projicere.* Appianus l. l. in decem tribus contributos novos cives ait, Vellejus 2. 20 in octo, eandem addens quam Appianus rationem, ne potentia eorum et multitudo veterem civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quam auctores beneficii. Octo autem novorum civium primum fuisse, docet nos Sisenna ap. Nonium in voce: *Senati* et *ergo*, dicens: *L. Calpurnium Pisonem ex Senatuscons.* (anno forsitan sequenti post legem Plautiam) *duas novas tribus adjecisse.*

5) Falso hic Liv. 74 nominat Marsos, ut ex toto rerum nexu et ex Orosio l. l. et Floro l. l. patet.

rent, Julio Caesari, cui in hunc annum imperium prorogatum fuerat [1]), Sullae, A. Gabinio, T. Didio, C. Cosconio et Q. Luccejo (historici patri) negotium datum, ut recuperata Campania, in Samnium, Lucaniam et Apuliam penetrarent. Lege autem Julia et qui populos fideles erant, magis sibi devinxerant et dubios in fide confirmaverant et hostem spe quadam similis beneficii proposita, reddiderant mitiorem. Nihilominus tamen bellum alebant socii, nec alia ratione finiri potuit, nisi receptis paullatim in civitatem, qui arma deposuerant maturius. Lata enim est hoc anno *lex Plautia Papiria,* a tribunis plebis C. Carbone, M. Plautio Silvano, qua promiscue sociis omnibus, exceptis Samnitibus et Lucanis, civitas data est. Censores etiam hoc anno extra ordinem creati P. Licinius Crassus et L. Julius Caesar ad novos cives, ut videtur, in tribus dividendos, nec tamen censum peregerunt [2]) (propter seditiones urbanas). Lustrum quidem, sed infelici omine condidere [3]).

§. 2. Julius Caesar, circiter 20 millia hostium sub C. Papio circa Acerras, ut videtur, dum castra movent, aggressus, stravit ex iis octo millia et multo plures exuit armis. Sed dum circa Asculi obsidionem diutius haerere cogitur, languido corpore, cum deficere se animadverteret, successorem sibi optavit C. Baebium [4]).

§. 3. Superi maris accolae, nondum cognito Etruscos mutasse sententiam, 15 millia militum auxilio per devios calles circumduxerunt in Etruriam. Quos aggressus Cn. Pompejus consul, interfecit ex iis V millia. Ceteri dum ad suos per loca aspera et invia, hieme quoque gravante, palantes se recipiunt et famem solantur glandibus, dimidium eorum interiit [5]). Vicit praeterea Pompejus Marsos [6]). Alter Consul Porcius Cato, Marianas copias habens,

1) App. l. l. 1. 48. — 2) Cicero pro Archia 5.

3) Veranius de Comitiis apud Pompej. v. *referri.*

4) App. l. l. — 5) App. l. l. 1. 50.

6) Liv. 74. vide circa hoc tempus Consulis colloquium cum Vettio Catone Cic. Phil. 12. 11.

rebus prospere gestis fusisque aliquoties Marsis gloriatus C. Marium non majora fecisse, cum ad lacum Fucinum contra Marsos bellum gereret, a filio C. Marii tumultu belli, quasi ab incerto auctore, prostratus est [1]). Haec initio anni gesta videntur. Per aestatem vero et auctumnum Marrucini a Sulpicio, legato Pompeji, prosequente, caesi et vastati sunt [2]). Marsi quoque a L. Murena et Q. Caecilio Metello Pio [3]) legatis aliquot proeliis fracti pacem petierunt. Recepit igitur Cn. Pompejus (quem initio aestatis ad Asculi Piceni obsidionem processisse credo) Marsos, Marrucinos, Vestinos et Pelignos [4]), ad deditionem in Campania successu maxime, opinor, impellente.

§. 4. Sulla enim, Herculaneo a T. Didio capto [5]) deletisque Stabiis [6]) ad obsidendos Pompejos ierat et ad illius urbis montes castra metatus erat. L. vero Cluentius (Juventius apud Oros.), Samnitium dux contemtim admodum ad tertium inde stadium castra ei opposuit. Sulla vero non ferens eam contumeliam, ne pabulatoribus quidem suis exspectatis, in eum fecit impetum. Et tunc quidem victus se recepit: mox vero, receptis pabulatoribus, profligavit Cluentium et castra in remotiorem locum transferre coëgit. Qui deinde auxiliis Gallicis auctus, rursus cum Sulla castra contulit. Postquam autem utrinsque exercitus prodiit in aciem, immani statura Gallus procurrens provocabat ad singulare certamen ex Romanis aliquem. Quem cum Numida confecisset, territi Galli confestim terga ver-

1) Sic Oros. l. l. Appian. tamen l. l. et Liv. 75 narrant eum in expugnatione hostilium castrorum cecidisse eamque rem hostibus victoriam dedisse.

2) Oros. l. l. Liv. 76. — 3) Vid. Drakenborch. ad Liv. 76.

4) Liv. 76. App. l. l. 1. 52. C. Vettium comprehensum a cohortibus suis (contra deditionem forsitan erat), ut Pompejo traderetur, servus ejus occidit, ac se, ne domino superstes sit, interemit. Macrob. Saturn. I. 11.

5) Vellej. 2. 16. Ovid. Fast. 6, 568 Didium eodem die, quo Rutilium, sed anno interjecto, ab Italicis occisum dicit.

6) Stabiae deletae sunt pridie Cal. Maji. Plin. 3. 6.

terunt, jamque turbata acie nec reliqui Cluentiani perstiterunt, sed Nolam refugerunt trepidi. Quos Sulla persecutus in ipsa fuga ad 30 millia cecidit [1]). Ceteri cum duce Cluentio castra ante Nolam posuerunt. Eodem loco etiam Sulla castra communiit. Hic vero cum ante praetorium immolaret, subito ab infima ara anguis prospexit, qua visa, C. Posthumi haruspicis auspiciis hortatus, continuo exercitum in expeditionem eduxit ac fortissima Samnitium castra cepit [2]) et cum non nisi per unicam portam reciperentur fugientes, metuentibus Nolanis. ne hostis simul irrumperet, cecidit circa muros viginti millia (octodecim Oros.) in iisque Cluentium fortiter pugnantem [3]). Ob haec feliciter gesta Sulla obsidionali corona ab exercitu donatus est. Cruentissimae hujus pugnae haec affertur caussa. Cum enim exercitus lapidibus occidisset [4]) Posthumium Albinum, virum Consularem, qui infamis crimine proditionis et intolerabili superbia omnium in se militum odia suscitaverat, Sullam civilem cruorem non nisi hostili sanguine expiari posse testatum esse, cujus rei conscientia permotum exercitum ita pugnam adortum esse, ut sibi unusquisque pereundum videret, nisi vicisset [5]). Hinc Sulla in Hirpinos movit, Aeculanum obsidione cinctum cepit militibusque diripiendum concessit, omnem denique Hirpinorum populum in fidem recepit [6]). Hinc in Samnium, ut ipsam belli socialis arcem exscinderet transtulit bellum. Hic L. Sulla apud Aeserniam inter angustias deprehensus ab exercitu hostium, cui Mutilus praeerat, colloquio petito, de conditionibus pacis egit nec quidquam impetravit, hostem tamen propter inducias negligentia resolutum animadvertens nocte

1) App. l. l. 1. 50.

2) Jul. Obseq. 116. Cicero de div. I. 33. — 3) App. l. l.

4) Simile flagitium disciplinae militaris refert Dio Cass. 113. de L. Porcii Catonis militibus, qui et ipse paene occisus est.

5) Oros. l. l. ad annum subsequentem id falso referre apparet ex Liv. 74. App. l. l. 1. 50. et Flor. l. l. Eutrop. l. l.

6) Liv. 75. Aurel. Vict. in Sulla. App. l. l.

nocte profectus relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium divideret et quarta vigilia commissa consequeretur, incolumis suos cum omnibus impedimentis tormentisque in tuta perduxit [1]). Hinc per ambages, qua minime putabatur venturus esse, Mutilum, qui omnes in Samnium aditus servabat, aggressus, multos ex exercitu ejus occidit. Mutilus ipse saucius cum paucis Aeserniam pervenit. Sulla vero expugnatis ejus castris, duxit ad Bovianum coloniam, in qua rebellium populorum concilium agitabatur, oppidoque post trium horarum validam oppugnationem, potitus est [2]). Et his quidem tantis rebus per eam aestatem prospere gestis, quanta raro quisquam ante consulatum gessit, sub hiemem ad consulatum petendum in urbem est profectus [3]). Victorias Sullae C. Cosconius praetor adjutore Q. Luccejo persequitur, Salapiam vi captam incendit et Cannas in fidem recepit, sed ab obsidione Canusii, superventu Samnitium, post acrem pugnam, edita utrimque magna strage, repulsus, ad Cannas coactus est sese recipere. Ceterum Marius Egnatius, Samnitium imperator, dirimente exercitus fluvio denunciavit Cosconio, ut trajiceret commissurus proelium, aut retrocederet, dum ipse trajecisset. Cosconius retrocedere maluit et Marium Egnatium adgressus superavit, fugientesque persecutus, in amnem praecipites egit, ita ut ex iis 15 millia perirent, reliqui una cum Egnatio intra Canusium refugerent. Tum Cosconius in Larinatium, Venusinorum, Asculorumque fines incursatione facta Poediculos invasit, intra biduum totam gentem in deditionem accepit [4]) et usque in Japygiam socios cladibus persecutus est [5]). At A. Gabinius legatus in Lu-

1) Frontin. 1. 5. 17.

2) App. l. l. C. Papius Mutilus, composito sociali bello in Senatum. Rom. est lectus, et tandem octogenarius proscriptus a III viris App. l. l. 4. 25, eodem modo periit et M. Lamponius App. l. l. 4. 26.

3) App. l. l. 1. 51. Liv. 75. — 4) App. l. l. 1. 52. Liv. 75.

5) Diod. l. 37. Ecl. 1. Strabo l. 6. p. 281. Atque haec etiam tota regio quondam virorum multitudine floruit, urbesque conti-

caniam missus, rebus prospere gestis et plurimis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit [1]).

§. 5. Tot igitur ac tantis affecti detrimentis Corfinium deserunt socii, quod Marsi et vicinae gentes jam in partes Roman. concesserant et communi omnium sententia in Samnitum urbem Aeserniam translatis sedibus, praetores 5 sibi praefecere, quorum uni Q. Pompaedio Siloni, propter virtutem et gloriam in administrandis bellis, imperii summam credidere. Hic communi praetorum adsensu magnum contraxit exercitum, adeo ut numerus universus cum veteranis 30 millium esset. At praeter hos, servis ad pileum vocatis et prout tempus ferebat, armatis, collegit ex genere isto non multo pauciores vicies mille, ac mille insuper equites [2]).

§. 6. Per idem tempus etiam in urbe ob aes alienum exorta est seditio, et A. Sempronius Asellio praetor, quoniam secundum debitores jus dicebat, ab iis, qui foenerabantur in foro occisus. Senatus per praeconem ei qui auctorem ejus caedis indicaret, ostentavit praemium, libero pecuniam, servo libertatem, conscio impunitatem, at nemo tamen index exstitit, foeneratoribus rem tegentibus [3]).

§. 7. Asculum denique Picenum circa finem hujus anni, caesis 18 millia Marsorum cum Franco imperatore, qui urbi succurrere voluerat, captisque tribus millibus (initio auctumni conjicio, Marsis nondum in civitatem receptis) captum est a Cn. Pompejo. Consul praefectos, centuriones, cunctosque principes virgis cecidit, securique percussit, servos praedamque omnem sub hasta vendidit, reliquos liberos quidem, sed nudos et egentes abire jussit et cum de hac praeda opitulationem aliquam in usum stipendii publici

nuit tredecim, nunc praeter Tarentum et Brundusium reliquae cladibus in oppidorum ordinem sunt redactae.

1) Liv. 76. Oros. l. l. Errat hic Florus l. l. Gabinium Marsos, Carbonem Lucanos discussisse referens, legendum est: *Carbo Marsos, Gabinius Lucanos discutit.*

2) Diod. l. l.

3) App. l. l. 1. 54. Liv. 74. Valer. Max. 9. 7. 4.

senatus fore speraret, nihil tamen Pompejus ex ea egenti aerario contulit [1]). Consuli ob hanc victoriam contra morem majorum triumphus est decretus, triumphavitque a. d. VI. Cal. Januar. [2])

§. 8. Sic *tertius belli annus* incepit *L. Cornelio Sulla et Q. Pompejo Rufo Css.* Initio hujus anni Pompaedius Silo cum Mamerco Aemilio congressus, ingenti clade affectus est [3]). Non multo tamen post Bovianum recepit, triumphansque (infelici omine) urbem captam ingressus est [4]). Sub idem tempus etiam Metellus in Apulia Venusiam, clari nominis urbem, cum numerosa militum in ea manu, expugnavit, et ter mille vivos cepit [5]); idem in Apulia cum Pompaedio et Obsidio congressus, horribili proelio vicit, quo Pompaedius cecidit [6]). —

Sic maxima ex parte sedatum erat bellum sociale, cum Samnites soli sub L. Pontio Telesino, Lucani sub Lamponio et Tib. Cleptio et Sabelli in urbe Nola a Sullano exercitu inclusi, pertinacissime arma retinerent. — Hic subsistere placet, quum, quae addi adhuc possint, sint partim notiora partim ad Sullani temporis historiam pertineant [7]).

1) Oros. l. l. Liv. 76. Flor. l. l. Postea Cn. Pomp. peculatus ideo est accusatus et a Carbone defensus Valer. Max. 5. 3. 5. et Plutarch. Pomp. init.

2) Gellius 15. 4. Valer. Max. 6. 9. 9.

3) Diodor. l. l. Liv. 76.

4) Jul. Obseq. 116. — 5) Diod. l. l.

6) Aurel. Vict. in Metello Pio. App. l. l. 1. 53. Oros. l. l. Pompaedium in proelio contra Sulpicium cecidisse scribit.

7) De his vide: *Keferstein de bello Marsico*, Halae 1812.

Ad P. 31. Not. 4. adde:

Q. autem Pompaedium Latinorum initio fuisse ducem ex sequentibus (P. 44) apparebit.

TYPIS AUG. GUIL. SCHADII.